~~0-1038~~

12ª = 3.275

082

~~111ª 2~~

~~N-2~~

Digitized by Google

23905

# ANECDOTA LITTERARIA EX MSS. CODICIBVS ERVTA VOL. II.

ROMAE
APVD GREGORIVM SETTARIVM
*ad insigne* HOMERI *public. auctorit.*

BIBLIOTECA

Digitized by Google

FLL
23.905



# LECTORIBUS ERUDITIS *EDITORES.*

EN alterum Anecdotorum noſtrorum Volumen, quod veſtrae eruditioni, & clientelae commendamus. Quod ſerius, quam ſtatutum erat, ad vos perveniat, non eſt, quod rationem reddamus. Multa enim, quae ingentis ſunt impedimenti ad opera peragenda, nullius ad audiendum ſunt vel oblectamenti, vel utilitatis. Quare ne vos pluribus inaniter detineamus, illud potius interim rogamus, ut ſedulitati noſtrae aliquid tribuatis, quam ſane in poſterum vos non ita diutius

 deti-

deſideraturos confidimus. Volumen hoc ad prioris normam concinnatum eſt, quod nimirum Opuſcula variae eruditionis exhibeat, quibus plerique Litteratorum allici, ac detineri poſſint. Siquidem Φιλέλληνες, Sanctorum Patrum ſtudioſi, Biographi, Oratores, Epiſtolographi, Poetae, Philologi, Hiſtorici, Antiquitatum tum veterum ſaeculorum, tum medii aevi cultores, ceterique habebunt, quo vario etiam in idiomate delectentur, & edoceantur. Quare ſi quid aliquis forte faſtidiat, probabit alter; eritque ſemper, cuius interſit, & cui arrideat. Valete ergo, Eruditi Lectores, & noſtro de vobis benemerendi ſtudio amice favete.

ELEN-

# ELENCHUS OPUSCULORUM

## Quae in hoc Vol. II. continentur.

I. *Fragmentum anecdotum Orationis Libanii Sophiſtae de Servitute, e Cod. Ms. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae erutum, & e Graeco in Latinum ſermonem converſum a Iohanne Chriſtophoro Amadutio Graecarum Litterarum Profeſſore in Archigymnaſio Romanae Sapientiae.* Pag. 1.

II. *Incerti Graeci Poetae Iambi in Sermones Sanctorum Patrum, ſeu de Scriptoribus Aſceticis, ex Cod. Ms. Bibliothecae Nanianae Venetiis ſaec. XV. nunc primum editi.* 17.

III. *Epiſtola Sancti Meropii Paullini Epiſcopi Nolani ad Alethium, ex Codice Ms. membranaceo ſaeculi XV. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae Florentiae, quam maxima ex parte anecdotam, nunc pri-*

*primum in lucem profert Philippus Angelicus Becchettius Bononienſis Ordinis Praedicatorum.* 33.

IV. *Homiliae III. Ven. Bedae Presbyteri, ex. Cod. Ms. Bibliothecae Congregationis Caſinenſis Florentiae nunc primum erutae a D. Petro Aloyſio Gallettio Romano Abbate Fontis Vivi in Agro Parmenſi.* 67.

V. *Funeraria de obitu Divi Alti de Comite per Benedictum Anagninum, quae nunc primum prodeunt ex Cod. Ms. chartaceo ſaec.* XV. 99.

VI. *Thomae Phaedri Inghiramii Volaterrani in laudem Ferdinandi Hiſpaniarum Regis Catholici ob Bugiae regnum in Africa captum Oratio dicta Iulio II. Pont. Max., ex Cod. Ms. ſaeculi* XVI. *Bibliothecae Cl. Praeſulis Marii Guarnaccii, nunc primum prolata a D. Petro Aloyſio Gallettio Romano Abbate Fontis Vivi Congregationis Caſinenſis.* 121.

VII. *Bloſii Palladii Romani Oratio de praeſtatione obedientiae Rhodiorum Leoni X. Ponti-*

*Pontifici Maximo, & Senatui Apoſtolico dicta, quam ex Cod. Ms. Ottoboniano Vaticano ſaec.* XVI. *nunc primum in lucem profert Stephanus Borgia a Secretis Sac. Congr. de Prop. Fide.* 163.

VIII. *Franciſci Aligeri Dantis III. filii Dialogus alter de Antiquitatibus Valentinis, ex Cod. Ms. membranaceo ſaec.* XVI. *nunc primum in lucem editus.* 207.

IX. *Aldi Manutii, Paulli filii, Aldi nepotis, Tractatus de Statuis, deque earum antiquitate, & uſu, ex Schedis Mſs. nunc primum in lucem editus.* 247.

X. *Sylloge Epiſtolarum variorum Scriptorum, nimirum Franciſci Petrarchae, Nicolai Eſtenſis, Baſinii Parmenſis, Leonardi Arretini, Antonii Auguſtini, & Latini Latinii, quae ex diverſis Mſs. Codd. nunc primum prodeunt.* 287.

XI. *Lettere Italiane di alcuni illuſtri Scrittori del ſecolo* XVI., *cioè di Annibale Caro, di Antonio Agoſtini, di Matteo Bruno, e di Gio: Batiſta Guarini, cavate dai loro Originali.* 347.

XII. *M. Va-*

XII. *M. Valerii Martialis, S. Damaſi Papae, & Valeriae Falconiae Probae Carmina Anecdota, ex variis Mſs. Codd. nunc primum edita, additis etiam pluribus variantibus lectionibus ex iiſdem Codicibus excerptis.* 377.

XIII. *Baſinii Parmenſis Epiſtola verſibus exarata ad Sigiſmundum Pandulphum Malateſtam Arimini Dominum, de Linguae Graecae laudibus, & neceſſitate, quam nunc primum ex ſuo Ms. Cod. ſaec.* XVI. *in lucem edit Hieronymus Ferrius Longianenſis in Pontificia Ferrarienſi Academia Eloquentiae, & Romanarum, Graecarumque Antiquitatum Profeſſor.* 401.

XIV. *La difeſa delle Donne contro il Divieto dagli ornati, Capitolo del Senatore Franceſco Bolognetti al Conte Niccolò Lodoviſi, cavato dal ſuo Originale.* 417.

XV. *Fragmentum Papyri ſaec.* V., *vel* VI., *continens Donationem S. Ravennati Eccleſiae oblatam, quod in Bibliotheca Gamba-*

*Gambalonga Civitatis Arimini adſervatum, nunc primum in lucem editur.* 431.

XVI. *Kalendarium Venetum ſaeculi* XI., *ex Cod. Ms. Membranaceo Bibliothecae S. Salvatoris Bononiae, a Stephano Borgia Sac. Congregationis de Propaganda Fide a Secretis nunc primum in lucem editum.* 441.

XVII. *Sylloge Inſcriptionum Veterum anecdotarum.* 457.

*IMPRIMATUR*,
Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*D. Iordani Patriarcha Antioch. Viceſgerens.*

---

MUlta ſunt in ſecundo hoc Litterariorum ἀνεκδότων Volumine, quae ex Bibliothecarum ſcriniis eruta ab Eruditiſſimis quibuſdam Viris de Litteris bene meritis nunc primum magno bonarum Artium ſtudioſorum bono in lucem producuntur. Ea & perluſtravi libenter, & pluries, attenteque legi, Rmi Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſt. nutibus obtemperaturus, nihilque in iis vel minimum reperi, quod Catholicae Fidei, aut Chriſtianis moribus adverſaretur. Quapropter &c. Ex Bibliotheca Almae Urbis Archigymnaſii VII. Kalendas Decembris an MDCCLXXIII.

*Proſper Petronius eiuſdem Bibliothecae Praeſes.*

---

*IMPRIMATUR*.
Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praedicatorum, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

---

| ERRATA | CORRIGE. |
|---|---|
| Pag. 16. ὑρα | ὑρα. |
| 209. *laudatiſſimoque* | *lautiſſimoque*. |
| 213. *Antonius Franciſcus* | *Franciſcus Antonius*. |
| 380. *Hic* | *His*. |

FRAGMEN-

# FRAGMENTUM ANECDOTUM ORATIONIS LIBANII SOPHISTAE DE SERVITUTE

E CODICE MS. BIBLIOTHECAE MEDICEO-LAURENTIANAE ERUTUM ET E GRAECO IN LATINUM SERMONEM CONVERSUM

A IOHANNE CHRISTOPHORO AMADUTIO
GRAECARUM LITTERARUM PROFESSORE
In Archigymnasio Romanae Sapientiae.

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

*AD CL. VIRUM*

AUGUSTINUM ANTONIUM GEORGIUM

PROCURATOREM GENERALEM

AUGUSTINIANAE FAMILIAE

# PRAEFATIO.

*SINAS, GEORGI Vir Clariſſime, inſcribi a me nunc tibi Fragmentum hoc anecdotum Orationis Libanii Sophiſtae περὶ δουλείας* de Servitute, *quod tecum iam communicaveram, ut aliqua ratione tentarem, an quod mihi a Graeco in Latinum ſermonem converti impoſſibile, aut difficillimum ſaltem videbatur, per tuam eruditionem, peritiamque ſane ἀκριβείαν aut clarius evadere, aut facilius fieri contingeret. Codicis corruptionem, & Amanuenſis peccata tunc ſimul culpavimus, idque unanimi ſententia ſtatuimus, ut ſi his medicam manum quis umquam adhibere pro neceſſitate voluiſſet, is quidem Augiae ſtabulum ſibi fere repurgandum aſſumpſiſſet. Graeci textus ſenſum ſatis patere ſimul perſpeximus, ac revera non alius eſt, quam ut exemplis ab Hercule, a Marte, a Theſeo, ab Atridis, a Tyrannis, atque ab Heris omnibus petitis evincatur, neminem liberum eſſe poſſe, atque eos quinetiam, quibus ſervis eſſe contigit, aliqua interdum frui libertate, quam eorum domini ſaepe deſiderent. Simile quid etiam ſapientiſſimus ille*

*Romanae eloquentiae Pater Marcus Tullius ſibi probandum aggreſſus olim fuit Paradoxo v., atque etiam huc redit ſanctiſſimi Eccleſiae Patris Ambroſii Diſſertatio, ſive Epiſtola ad Simplicianum* de vera Libertate, ac Servitute. *Idem praeterea aliqua ratione adſtruunt Philemonis verſus* in Thebanis, *quos refert Stobaeus* (a), *quique ita ſe habent:*

Δοῦλοι βασιλέων εἰσιν· ὁ βασιλεὺς θεῶν·
Ὁ θεὸς ἀνάγκης· πάντα δ' ἂν σκοπῇς ὅλως
Ἕτερον πέφυκεν, ἥττονων δὲ μείζονα·
Τούτοις ἀνάγκη ταῦτα δουλεύειν ἀεί.

Sui ſunt famuli regum, rex autem Deorum,
Et Deus neceſſitas. Denique nihil non,
ſi perpenderis,
Alterius exſiſtit, maiora minoribus dominantur:
Haec illis perpetuo ſerviant neceſſe eſt.

*His praelucentibus, aliquid tentari poſſe videbatur; ſpes enim affulgebat, ſi non ad litteram, ad ſenſum ſaltem haberi aliquam verſionem poſſe, qua Graeci idiomatis ignaris aliquid etiam de hoc ipſo anecdoto Fragmento conſtaret. Rem hoc conſilio peregi, aſt dubio ſemper conatu, & ancipiti greſſu, cum mihi anfractus ubique occurrerent, ſenſus nimirum hiulcus, vitiata ſyntaxis, voces corruptae, & innumera propemodum, quae ſunt ad orthographiam, inconcinna prorſus, & incondita. Senſum ergo aliquem conſectari conatus ſum, parum interim laborans,*

an

(a) *Apophthegm. Serm.* LX. *pag.* 883.

*an is fabulae, vel hiſtoriae reſponderet eorum, quae innuebantur. Si enim utrumque aſſequi voluiſſem, inferenda vis fuiſſet Graeco textui, quod mihi religio in veterum ſcripta vetabat; nam malui indoctum interpretem videri, quam vel corruptorem, vel adulteratorem audire. Quibus blanda, leviſque fieri poterat citra audaciam medicina, facta per me eſt, ut potui; cetera vero, quae pro ſenſu, quem mihi finxi, opportuna videbantur, reiectis in ima ora notis, aut, ſi mavis, emendationibus reformavi. Hac ſiquidem ratione & ſenſui, & litterae quinetiam proſpectum a me facile cenſui; ſed ſi neutrum me aſſecutum eſſe tandem conſtaret, veniam, quam a te, amantiſſime* GEORGI, *pro tua humanitate impetravero, ceteros etiam, ſi non benevolos, minus forte inclementes in me facturam eſſe, firma ſpe nitor. Ceterum ſi quis huius rei difficultatem experiatur, hoc ſane opus facile copulandum cenſeat Graeco alteri Hippocratis Libro* περὶ ἑπταμήνου de Septimeſtri Partu, *qui adeo inemendatus circumfertur, ut litteralem interpretationem refugiat, & quae peracta eſt quoquo modo, ſenſum dumtaxat reſpiciat. Adſunt & alia ita incompta, & depravata Amanuenſium inſcitia, ut tamquam deſperatae interpretationis dimiſſa fuerint; quod factum non ita pridem novimus a Viro eruditiſſimo Proſpero Petronio Alexandrinae Bibliothecae in Archigymnaſio noſtro Romanae Sapientiae Praefecto, qui ſine ulla verſione prodire ſivit duo Graeca Epigrammata anecdota, quae ex Palatino, nunc Vaticano Anthologiae Codice Ms. ipſe excerpſerat*

perat (a), & cui nunc etiam haec noſtra expendenda commiſimus, ut ex eius inſuper peritia lux aliqua nobis, ſi potis eſſet, affulgeret. Verum his miſſis, ad Codicem veniamus, ex quo haec in nos manarunt conſueto beneficio Viri amiciſſimi, & a nobis numquam ſine laudis, & obſervantiae ſignificatione commemorandi Angeli M. Bandinii, qui alteri ſpectatiſſimo amico noſtro Philippo Angelico Becchettio Praedicatorum Familiae Alumno Fragmentum hoc ipſum ex Codice Ms. Bibliothecae Mediceae Laurentianae Florentiae exſcribendum libentiſſime dedit. Recenſetur hic Codex ab eruditiſſimo Bandinio ſumma diligentia in Catalogo, quem edidit, Codicum Graecorum laudatae Bibliothecae (b), ex quo haec nos nunc potiſſimum delibamus. Continentur hoc ipſo Codice, qui papyraceus eſt in 4., & ſaeculo XIV. conſcriptus, Libanii Sophiſtae, ac Luciani Opera varia, inter quae (c) habetur Libanii Oratio περὶ δουλείας de Servitute, quae edita eſt a Federico Morellio inter alias Libanii Orationes (d), ſed quae tamen ſine deſtituta eſt, quem nimirum nos nunc primum eruditis communicamus. Patet ex hoc Fragmento, quo haec Oratio quoquo modo perficitur, Libanium aliam

(a) *Notizie Oltramontane per uſo de' Letterati d' Italia Tom. II. Part. II. dal principio di Luglio a tutto Decembre* MDCCXLIII. *In Roma appreſſo li fratelli Pagliarini; Artic.* XLIV. *pag.* 339.

(b) *Tom. II. col.* 137. *Plut.* XXXII. *Cod.* XIII. *num* XX.

(c) *Num.* XX. *pag* 109.

(d) *Tom. II Orat.* XXXI., *pag.* 642., & *ſeqq.*

*aliam conſcripſiſſe Orationem de hoc ipſo ſervitutis argumento, quam nos huc uſque deſideramus. Quare eiuſdem exoptandam* ἔυρεσιν *ex animo augurabimur Viro Cl. Ioh. Iacobo Reiskio, iam pro omnium Libanii Orationum editione adlaboranti, cui & alterius anecdotae Libanii Orationis* ὑπὲρ Ὀλυμπίου pro Olympio, *quam habet Codex Bibliothecae Barberiniae* (a), *quamque eidem parare nititur omnis Litteraturae Volupiae cultor egregius Ioh. Ludovicus Blanconius Saxoniae Electoris a conſiliis, & apud Romanam Sedem Orator, editionem libenter reſervamus, & a quo demum haec noſtra corrupta, & hiulca prorſus emendationem, ac formam aliquam ſperare poſſint. Id etiam peculiare ex fragmento hoc ipſo nunc deprehenditur, effatum illud:* Εἷς καὶ δοῦλος οἶκος ὁ δεσπότης. Unus eſt ſervus domus herus, *quod inter breves Graecas ſententias ad calcem Lexici Cornelii Schrevelii appoſitas* (b) *legitur, nullo Scriptori tributum, Menandro accenſendum eſſe ex fide Libanii, qui ex ipſius ore uſurpat. Ceterum inter Fragmenta ipſa Menandri a Grotio, & Clerico in unum collecta* (c), *ipſum invenire non licuit. Id unum reſtat modo,* Georgi *Vir Cl., & amiciſſime, ut in incondito hoc munuſculo, tum etiam exiguo prorſus, ac tenui dantis animum ſpectare dumtaxat velis, quem tibi omnino devinctum, quem gratum, quem benevo-*

 *lum,*

(a) *Vid. Fabricium Bibliotb. Graec. Vol. VII. pag.* 411., & 412.

(b) *Cap. V.*

(c) *Amſtelodami typis Thomae Lombrail* 1709, *in* 8.

*lum, quem tuae ſapientiae, ac meritorum tuorum aeſtimatorem, & quem tandem tuarum laudum praeconem non uno ex indicio pro mea quidem imbecillitate, ſi non pro dignitate tua, quod meae non eſt opis, perſpicere facile potuiſti. Macte animo, ac virtute, hoc praeſertim tempore, quo* fulſere *tandem* candidi ſoles (a), *Eccleſiae, litteris, tuique ſimilibus auſpicatiſſimi. Vale.*

*Datis ex Aedibus meis a. d. xv. Kalendas Septembris, die ipſo natali meo, qui mihi primus eſt anni* XXXIV., *quemque tu mihi fauſtum, ac felicem precare, anno a Chriſto nato* CIↃIↃCCLXXIII.

(a) *Catull. Hendecaſyll.* VIII.

FRAGMEN-

# FRAGMENTUM ANECDOTUM ORATIONIS LIBANII SOPHISTAE DE SERVITUTE.

Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ μηδ' αὐτὸς (Ἄρης) διαφεύγειν δουλείαν (a)· τὸ γὰρ κατὰ φυγὴν οἱ κατασκευάσασθαι τὸν πίθον, καὶ δεδιέναι τὸν ἐπιταττόμενον αὐτὸν, καὶ εἶναι αὐτοῦ δουλευόντος φαυλότερον δοῦλον ἐποίει τὸν ἐν τῇ τάξει τοῦ κελευόντος. Ἡρακλῆς δὲ ἥχων (b) εἰς ᾅδου τὸν ἀνεψιὸν (c) τὸν αὐτοῦ δοῦλον ὄντα τῶν κάτω καὶ προσέτι γε δεσμώτην ἔλυσε· καὶ τοὺς Ἀτρείδας γε οἱ χιλίαις ναῦσι τῇ Τροίᾳ προσέβαλον πολλὰ ἂν εὕροιμεν ἐν τῇ πολεμίᾳ τῷ στρατῷ δεδουλευκότας. Νοῦν δὲ εἶχε Μένανδρος ὁ διοπειθοῦς,

Quid quod ne (Mars) ipse servitutem evasisse mihi videtur. Quod enim ipsi post fugam fuerit constructus cadus, & in eo ipse collocatus fuerit vinculis constrictus, id fecit, ut qui antea in ordine iubentis fuerat, servus serviente ipso deterior exsisteret. Hercules vero accedens ad domum Ditis consobrinum suum servum exsistentem inferorum, & insuper ligatum dissolvit. Atque Atridas, qui mille navibus Troiam aggressi sunt, multum invenimus in bello exercitui inserviisse. Hanc autem opinionem habebat Menander divinitus

θῦς, καὶ πλεῖστα τοῖς οἰκέταις ἄρα τοῖς αὐτοῦ δεδουλευκῶς οὕτως ἔσχεν εἰπεῖν· Τὸ εἷς ἐστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης (d)· καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς πολὺς ὁ τῶν φροντίδων ἐσμὸς ὡς οἰκέτην ἐν εὐπραξίᾳ τε, καὶ κακοπραξίᾳ. Τῷ μὲν γὰρ ἀρκεῖ πρὸς τὰς ἐκείνου χεῖρας ἰδεῖν, τῷ δὲ ὀρέγειν (e) ἀνάγκη. Καιρὸν δὲ αἰτιάσασθαι καὶ Διὸς ὀργὴν, καὶ πνευμάτων ἀπουσίαν, καὶ ὅσα καρπογονίαν ἴσχει· τούτων οὐδὲν ἀπολογία πρὸς δοῦλον· ἀλλ' ἐκείνῳ γε ἡ γῆ, καὶ μὴ φεροῦσα φέρει ἐσθήστε (f), καὶ ὑποδήματα· ἡ μὲν ἐξυφαίνεται, τὰ δὲ ῥάπτεται καθευδόντι. Γαμοῦσι δὲ οὐδὲν προνοήσαντες· ἀλλ' ἡ μὲν πρόνοια τοῦ δεσπότου τοῦδε ἔστιν ἐργῶσθαι πρὸς τὴν εὐνήν. Ἀσθενοῦντι δὲ οἰκέτῃ μία φροντίς τὸ ἀῤῥώστημα· φαρμάκων δὲ, καὶ ἰατρῶν, καὶ ἐπωδῶν ἀλλῷ μελήσει· καὶ ἀποθνήσκον-

vinitus persuasus, qui cum saepissime servis nempe suis ipse serviisset, sic dixit: quod unus est servus domus dominus; etenim vere multus est curarum cumulus, quum domesticus bene, & male operatur. Uni quidem enim sat est in eius manus intendere, alterum vero percutere necesse est. Adest autem occasio culpandi & Iovis iram, & spirituum absentiam, & quaecumque fructuum generationem cohibent. Horum excusatio nihil ad servum attinet; quandoquidem illi terra, etsi non fructus ferat, fert tamen vestem, & calceamenta, siquidem illa texitur, haec vero suuntur, etiam ipso dormiente. Nubent vero, nihil sibi parantes, sed cura est domini, ipsos dare operam liberis in cubile. Aegrotanti vero domestico una cura est languor ipse: pharmacorum, medicorum, & incanta-

θνήσκοντι γὲ ὁ φόβος οὐδεὶς ταφῆς· περὶ ταφέα γὰρ αὐτὸν ἔχει τὸν δοκοῦντον (g) μὲν δεσπότην ὄντα δὲ δοῦλον (h). Εἰ δὴ δοῦλοι μὲν οἱ δοῦλοι, δοῦλοι δὲ οἱ δέσποται, ποῦ τίς ἂν εὕροι τὴν ἐλευθερίαν; Ἐν ἡμῖν φαῖεν ἂν οἱ τύραννοι οὐχ' ἡρᾶς (i) φήσουσιν (k) ἀκροπόλεις τε ἐφ' ὧν ἱδρύμεθα, νόμους τε ἂν ἠρημένου (l), ἵν' ἡμεῖς ἀντ' ἐκείνων ἄρχωμεν, σίδηρον τε ἐν αἰχμαῖς τοῦτον περιλάμποντα (m), στίφος τε τουτὶ δορυφόρων· εἰς γῆν κύπτειν καταναγκάζοντας πόλεις, ναὶ μὰ δία φήμι, καὶ μάλα ὁρῶ τοὺς φαίδρους δορυφόρους οἱ τυραννοῦσι τῶν τυραννούντων· καὶ τὸ μὲν ὄνομα αὐτοῖς φύλακες, ἔργῳ δὲ εἶσι δεσπόται· ἢν μὲν γὰρ οἱ δὲ θέλωσιν ἁρπάζετέ (n) τε καὶ σκευοφόρους, καὶ χρήματα, καὶ παρθένους, καὶ ἔστε (o) τύραννοι. Βουλευσαμένων δὲ ἄλλο τι παρὰ τῆς φρουρᾶς ὑμῖν

cantationum alteri cura erit. Morienti vero nullus est timor sepulcri; quoad pollinctorem enim ipsum habet in speciem quidem dominum, re autem servum. Si vero servi sunt ipsi servi, & servi sunt etiam domini, ubinam quis inveniat libertatem? Inter nos dixerint tyranni, numquam dona dicent & arces, in quibus considemur, & leges sublatas, ut nos pro illis dominemur, & ferrum hoc cuspidibus circumfulgens, & hanc turbam satellitum. In terram inclinare cogentes Civitates, certe per Iovem aio, & video valde alacres satellites, qui tyrannizent tyrannos. Et nomen quidem illis est Custodes, reipsa autem sunt domini; si quidem enim ipsi velint, rapiunt & lixas, & opes & virgines. Et estis tyranni? Postquam aliud quidquam in Senatu consultum fue-

ὑμῖν ὁ θάνατος · καὶ μὲ τοῦτο ἀλλά τε ὀλίγα διδάσκει καὶ λυδὸς δορυφόρος. Κτείνας μὲν τὸν δεσπότην, τὰ δὲ ἐκείνου κτησάμενος τήν τε γυναῖκα, καὶ τὴν ἀρχήν· ὑμῖν δὲ οὐδὲ ὕπνος ἡδὺς, ἀλλ' ἐν τοῖς ὀνείρασιν, ἀνατρέχουσί τε οἱ βεβιασμένοι πρὸς τὰ μετέωρα (p), καὶ προσβάλλουσι τοῖς βασιλείοις, καὶ τρέπουσι τοὺς ὀπτῆρας· καὶ ἐπειδὰν ἐγγὺς ᾖ τὸ ξίφος ἀναπηδᾷ (q) τε πεκραγότες· χρόνου δεόμενοι πρὸς τὸ μαθεῖν ὅτι οὐχ ὧδε ταῦτα εἴη· μὴ (r) ἂν μάλιστα ἀνθρώπων ἀναμίξαντες (s) δεσποτείᾳ δουλείαν, καὶ δοῦλοι δουλείας ἐκείνην λαβόντες, καὶ κεκτημένοι καθαρεύειν (t) οἴεσθε τοῦ χείρονος; Ἀλλ' ὁ δοῦλος ἄλλοτε ἄλλου γίνεται· καὶ ἔστι πεῶσις τοῦ σώματος· καὶ τί; ταύτῃ γε ἐκεῖνος ἀθλιώτερος εἰ ἀργύριον ὁ μὲν ἔλαβεν, ὁ δὲ ἔδωκεν· οὐ γὰρ

fuerit, ab excubiis vobis mors imminet. Et me hoc, tum & non pauca docet etiam Lydius Satelles. Sane cum interfeciſſet dominum, eius bona conſecutus eſt, & uxorem, & principatum. Vobis autem neque ſomnus ſuavis eſt, ſed dum inter ſomnia verſamini illi vim faciunt conſcendentes in ſummas arces, & prorumpunt in regias, & ſubvertunt ſpeculatores. Et cum prope eſt enſis, proſiliunt clamantes, tempus orantes, quoniam ſciunt, quod ultra haec non eſtet. Verumtamen quum maxima ex parte homines miſcuerint dominationi ſervitutem, & hanc per ſervitutem adepti, facti ſint domini, purum eſſe (*ſervum*) deteriotis conditionis eſſe putaris? Sed ſervus diverſa etiam ratione alterius fit, & eſt venditio corporis. Quid inde? Per hanc (*venditionem*) ille ſit miſerior, ſi argentum hic qui-

ὐ γὰρ δὲ τὸ σῶμα γε αὐτῷ τοῦτο ἐπηρώτευ· ὐδ' αὖ τὴν (u) ψυχὴν διέφθαρεν· ὐδ' εἰ τίς ἦν ἐν αὐτῇ τέχνῃ ταύτην ἐξεβαλεν πολλάκις τε αὐτῷ τύχης ἀμείνονος οἶκον ἐκ (x) πενίης· Ἔρχεται δὲ καὶ ἐφ' ὅλας τὰς πόλεις τρόπον τίνα τὸ ζῷον· κεῖνται γὰρ αὗται πολλάκις βασιλεῦσιν ἄθλα, καὶ ὁ κτήσασθαι βουλόμενος ὠνεῖται ταύτας ὅπλοις, καὶ μάχαις· καὶ μᾶλλον γὲ μετὰ σωμάτων, καὶ χρημάτων· καὶ γεγόναμεν ὐκ ὀλίγων ἤδη δεσπότων ἐν μικρῷ χρόνῳ· τῶν δὲ γε νῦν ὄντων ὡς ὁπλεῖστον εἶναι αὐτοὶ καὶ παῖδες. Οὐδεὶς οὖν ἐλεύθερος. Εἰ δ' ὅς τις φιλοσοφεῖ, σκεψώμεθα, ὦ ἄνδρες, ἐν ἑτέρῳ περὶ τοῦδε συλλόγῳ.

quidem accepit, ille autem dedit. Non enim corpus ipſi hoc abſtulit, neque ipſam animam corrupit. Neque ſi quis in (*venditionis*) tractatione fuerit, hanc (*animam*) dimiſit; ſaepe ipſi fortunae melioris eſt domus paupertatis. Invaſit autem hic mos univerſas civitates; iacent enim ipſae ſaepe regibus *velut* praemia certaminis, & poſſidere volens comparat has armis, & praeliis, magis quam per corpora, & pecunias. Et nos facti ſumus non paucorum iam dominorum in brevi tempore; eorum certe, qui nunc ſunt, ut plurimum eſſemus ipſi etiam filii. Nemo igitur liber eſt. Si autem aliquis philoſopharі velit, inſpiciemus, o Viri, in altera de hac re Concione.

EDITO-

## EDITORIS ADNOTATIONES.

(a) *Heic desinit Morelliana editio; quamquam paullo aliter haec ibidem se habeant, scilicet:* Οὐδ' αὐτὸς ἐμοὶ δοκεῖ Κρονίδης δουλείας ζυγὸν ἐξέφυγεν. *Quare ex Codice eadem regerere placuit. Si edito inhaereas, Iovem Saturni filium heic indicatum habes; sed si Codicem sequaris, ad Herculem ipsum, qui supra innuitur, haec pertinent. Verumtamen inter Fabulas nihil invenias, quod alterutri conveniat eorum, quae heic designari videntur. Nota Herculis servitus Omphali praestita, quam innuit Libanius ipse in Declamatione* IX. *To.*I. *pag.*348. *Nota & eiusdem servitus praestita Eurystheo, de qua Libanius quinetiam in Declamatione* XVII. *ibid. pag.*478. *Quare Martem potius heic indicari crederem, Homeri versibus suffragantibus Iliad. E. vers.* 385:

Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος, κρατερός τ' Ἐφιάλτης
Παῖδες Ἀλωῆος δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ·
Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.

Pertulit quidem Mars, quando eum Otus, fortisque Ephialtes
Filii Aloei ligaverunt duris in vinculis,
Aereo autem in vase vinctus est tredecim menses.

*Eustathius quidem, celebris ille Homeri Commentator,* κάλκεον κέραμον aereum vas, *sive etiam* urceum, πίθον *appellat, quae vox heic nimirum etiam a Libanio usurpatur. Sic enim Homeri locum exponit Eustathius:* Ἔδησαν δὲ (Otus scilicet, & Ephialtes) τὸν Ἄρην, ἐν καλκέῳ κεράμῳ ἤγουν ἀγγείῳ ὅιον, πίθῳ. *Tum & Hesychius ipse* κέραμον *interpretatur* πίθον. *Ceterum, eodem observante Eustathio, alii in* δεσμοτηρίῳ στερρῷ carcere solido *inclusum, ac vinctum dixerunt Martem. Quare* Κρονίδης Saturnius, *sive* Iuppiter, *cui haec minime conveniunt, quemque nobis Morelliana editio exhibet, in* τὸ Ἄρης *convertendus videtur, pro quo etiam in Laurentianum Codicem* αὐτὸς *forte*

*te irrepserit, vel* Ἄρης *potius, qui ibidem adnectebatur, consueta Librariorum oscitantia omnissus fuerit: Nisi etiam illud dicere velimus, male heic adsutam fuisse hanc periodum, quae Herculis superiorem commemorationem in editis, ab inferiore, quae in Codice est, perperam seiunxerit, cum potius subsequi debuisset.*

(b) *Sic habet Codex, sed mendose; vel enim legendum* ἥκων veniens, *vel* ἔχων strepens. *Nos primam lectionem sequuti alteram, cui lubet, permittimus.*

(c) *Theseus, qui cum Pirithoo ad inferos descenderat rapturus Proserpinam, vivus in Ditis potestatem pervenit, & in vincula coniectus tamdiu ibi mansit, donec Hercules ipsum liberavit. Libanius ad Theseum provocare videtur; sed quomodo Theseus Herculi consobrini agnatione iungeretur, ex Mythologis, qui haud etiam unanimiter hanc rem narrant, deprehendere non licuit.*

(d) *Consule Praefationem pag. 7.*

(e) *Hesychius in Lexico:* Ὀρεξάτω . . . (*quod ab* ὀρέγω) πληξάτω, ὁ γὰρ τύπτων ἐκτείνει τὴν χεῖρα. *Scilicet* percutio; verberans enim manum extendit. *Plagis servi obnoxii erant; sed si pro* porrigere *auxiliarias manus heic velis interpretari, non repugno.*

(f) *Lege* ἐσθῆτα.

(g) *Apud Demosthenem etiam* οἱ δοκοῦντες εἶναι ἀγαθοί, qui videntur esse boni, *vel* in speciem boni. *Verum heic legendum* δοκοῦντα *pro* δοκοῦντον, *quod habet Codex.*

(h) *Libanius inter Progymnasmata, ubi de vituperatione inopiae Te. I. p. 115:* Θέλνηκε; περὶ ταφῆς ἡ φροντὶς, καὶ δακρύουσιν οὐχ οὕτω τὴν τελευτὴν οἱ προσήκοντες, ὡς τὸ μὴ κρύψαι τὸ σῶμα πρεπόντως ἔχειν. Οὐδὲν τοσοῦτον ἡ δουλεία· ὁ μὲν γε ἐσκέτης καθεύδει ῥαθύμως, ταῖς τοῦ δεσπότου φροντίσι τρεφόμενος, καὶ τ' ἄλλα ἔχων ὧν δεῖται τὸ σῶμα. Excessit e vivis? De sepultura solicitudo est, & parentes illacrimantur non tam morti, quam quod honeste corpus sepelire non possint. Servitus nihil quidquam tale est; at enim servus dormit in utramvis aurem, heri sui cura nutritus,

tus, & alia adeptus, quibus corpus eget. *Vides Libanium eamdem nunc sententiam regerere.*

(i) *Forte* ἦρα. *Siquidem apud Homerum saepe habetur* ἦρα φέρειν, *quod Eustathius ad Iliad.* Δ. *idem censet, ac* χάριν, ἢ ἐπικουρίαν φέρειν, gratiam, vel auxilium ferre, *aut etiam* χαρίζεσθαι gratificari. *Hinc apud Hesychium* ἡρὰ καλὸν, *vel. ut Salmasio, ac ceteris lubet,* ἡράκαλον, *vel* ἡρύκαλον, *quo veteres Graeci Herculis opem poscebant.*

(k) *Legi etiam posset* φέρουσιν, *ut phrasis Homerica, quae Libanio familiaris, servaretur; tuncque verti posset*: pro donis statuent.

(l) *Forte legendum* ἀνηρημένους.

(m) *Libanius inter Progymnasmata, ubi de Tyrannicida, Tom.I. pag.64. habet* ἀστράπτοντα σίδηρον collucens ferrum.

(n) *Forte* ἁρπάζουσι.

(o) *Forte legendum* ἐστὶ τύραννος; *forma interrogandi.*

(p) *Libanius inter Progymnasmata, ubi de Tyrannicida, Tom.I. pag.62. habet*: ὃς τὰ μεθέωρα καταλαβὼν, qui cum edita loca occupasset.

(q) *Forte* ἀναπιδῶσι.

(r) *Lege, quaeso,* μὲν.

(s) *Melius legas* ἀναμιξάντας, & λαβόντας, & κεκτημένους, *ut aliqua ratione stet syntaxis. Sed nihilominus Aethiopem lavamus.*

(t) *Dicitur servus* καθαρεύειν purus esse. *ut ab eo, qui mixtam servit servitutem, distinguatur. Sic etiam ab Homero* κάθαρος θάνατος pura mors *dicitur.*

(u) *Lege vel* αὔτην, *vel etiam* αὐτῷ.

(x) *Forte legendum* εἶκος εἶ,

INCER-

# INCERTI GRAECI POETAE
# *IAMBI*
# IN SERMONES SANCTORUM PATRUM
## *SEU*
## DE SCRIPTORIBUS ASCETICIS

Ex Cod. Ms. Bibliothecae Nanianae
Venetiis saec. xv

*NUNC PRIMUM EDITI.*

## IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

*AD VIRUM CL.*

## IOHANNEM ALOYSIUM MINGARELLIUM

ABBATEM ET PROCURATOREM GENERALEM

Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanae S. Salvatoris

# PRAEFATIO.

*GRAECI Poetae anonymi Iambos per te ex Codice Ms. Bibliothecae Nanianae accurate exſcriptos, tum e Graeca in Latinam linguam converſos, ac pluribus inſuper inſignitos adnotatiunculis, atque iis quidem doctis, eruditiſque, libuit tibi ad me pro tua humanitate nunc mittere, ut dein & per meipſum inter Anecdota noſtra inſererentur, & quae placeret, Praefatio ſimul iiſdem apponeretur. Accipio munuſculum quam libentiſſime, ac de eodem multum te amo. Cur enim Graeca non probet, qui & Graecis litteris tradendis publicam operam navet, & cui uno tempore Athenis, & Romae quodammodo commorari videatur? Verumtamen ut aquas videmus a mare profectas ad mare rurſus etiam reduces, ſic etiam decet, MINGARELLI ἰλλυπώτατε, Opuſculum hoc, quod a te mihi anecdotum tam libenti munere traditum eſt, nunc autem typis cura mea excuſum, quaſi ἀντίδωρον, ad te reverti.*

*Ceterum tute vides, parum mihi reliquum fuiſſe, quod facerem, ut Iambos iſtos publica luce dignos conſtituerem. Anonymus Auctor nihil de ſe coniiciendum praebet, ut & tempus, quo ipſe vixerit, ne divinandum quidem nobis relinquat; niſi illud dicere velimus, quod a te in adnotatione monitum eſt ad Callisti nomen, qui ſi ille eſſet Xanthopulus cognomine, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſaeculo XIV. ſcripſit, parum ſane antiquitatis his verſibus tribuendum foret. Aſceta tamen Poeta hic fuit, qui praecipuos Aſcetas Scriptores carminibus recenſendos ſumpſerit. De Aſcetis nihil eſt, quod dicam, cum hanc Spartam egregie ornaverit Vir Cl., & Eminentiſſimus Nicolaus Antonellius S. R. E. Card.* ὁ Μαχαρίτης *in Diſſertatione* de Aſcetis, *quae ab eodem inſerta eſt in editione, quam anno* CIↃIↃCCLVI. *typis Propagandae Fidei peregit, Sermonum Armenorum S. Iacobi Epiſcopi Niſibeni* (a), *ut Aſcetarum mentionem, quae in Sermone VI. habetur, omni eruditionis genere illuſtraret, & Aſcetas ipſos non Diocletiani Auguſti aevo dumtaxat, cuius ultima perſecutionis tempora, ac reſtitutae a M. Conſtantino Eccleſiae pacis Armenum Patrem attigiſſe patet, ſed etiam primo Eccleſiae ſaeculo exſtitiſſe contendat, ac digitum idcirco intendat ad Flavium Clementem* (b) *Domitiani Imp. patruelem, a Svetonio* (c) *memoratum, qui*

(a) *Poſt Sermon. V. pag. 107., & ſeqq.*

(b) *Ibid. §. 5. pag. 112.*

(c) *In Vita Domitian. cap. 15.*

*qui ex Conſulatu ad Martyrium pro Chriſti fide proceſſit, & cuius tumulum longe praeſtantiſſimum hoc ipſo ſaeculo feliciter detectum, qui Romae in veteri S. Clementis Papae, & Martyris Eccleſia religioſe nunc colitur, illuſtrarunt Eduardus Vitryus, & Franciſcus Antonius Zaccherius* (a). *Sinas vero,* MINGARELLI *eruditiſſime, nonnullas alias a me quoque adnotatiunculas tuis ſane ſolidioribus copulari, ut & Auctores illi, quos forte tamquam notiſſimos intactos reliquiſti, iis, qui eoſdem parum noverint, aeque ac ceteri, quos tu illuſtraſti, innoteſcant. Verum cum hoc raptim, prelo me urgente, peregerim, non aliud uſurpare ad id licuit, quam Catalogum Mſs. Codd. Graecorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae Florentiae a Cl. Bandinio noſtro ſumma eruditione, ac diligentia elaboratum, ex quo tamen pro re mea ſatis notionum hauſiſſe mihi videor. Tu qui tanta Anecdota & Latina, & Graeca Litterato Orbi communicaſti, quique & tanta per te naviter exſcripta adhuc in forulis ſervas, ne patiare nos diutius iiſdem carere, atque haec noſtra Anecdotorum editio tibi ſtimulos addat, quibus & ipſa in eo proficiat, ut iiſdem a te collectis Anecdotis in poſterum diteſcat, eaque primum eruditis exhibuiſſe glorietur. Illud tibi nunc perſuadeas velim,* MINGARELLI *Cl., nemini me eorum concedere, qui te colunt, & obſervant;*

 *Immo*

(a) *Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici, e filologici Tom.* XXXIII. *pag.* 251.

*Immo & gratum, & memorem quinetiam liberalitatis huius tuae me perpetuo exſtiturum polliceor. Vale.*

*Datis ex Aedibus meis Kalendis Octobris anno* CIↃIↃCCLXXIII.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΛΟΓΟΥΣ

## ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΠΑΤΕΡΩΝ.

Κριτὴς ἀείσῃ τῇ μοναστικῇ βίῳ
Οἱ τῶν γεγόντων τῶν σοφῶν ἁπλοῖ λόγοι
Δηλοῦντες ἀμφὼ πρᾶξιν ἐν θεωρίᾳ·
Οἱ καὶ κατὰ στοιχεῖον εἰσὶν ἐν βίβλῳ.
Τούτους καταρχὰς εἰς ἀνάγνωσιν δ'ἐον
Ἅπαντας ἡμᾶς λαμβάνειν καθ' ἡμέραν.
Ὡς ἐξ Ἐδὲμ γὰρ ἐξ ἐκείνων βλυζάνει
Ἑλλάμψεων πηγή τις εἰς σωτηρίαν

## INCERTI GRAECI POETAE
### *IAMBI*
## IN SERMONES SANCTORUM PATRUM.

OPtimum vitae monaſticae fundamentum
Sunt ſapientum Senum (a) ſimplices ſermones,
Quibus eorum *praxis*, ac *theoria* manifeſtatur,
Quique iuxta litterarum ordinem ſunt in hoc li-
Hos in primis legere debemus (bro.
Cuncti, & quotidie in manus ſumere:
Ex ipſis enim, tamquam ex Eden, ſcaturit
Fons quidam illuſtrationum mentis ſaluberrimus,



(a) *Libros illos reſpicit, qui a Graecis* Gerontica, *&* Paterica *vocantur, eo quod Senum, & Patrum apophthegmata contineant.*

Ἀρχῶν μεσισμὸν τετράφορον διδυγμένη
Ἐν τῇ μεγίστῃ τῶν ἀρετῶν τετρακτύϊ,
Ἐξ ἧς καθαίρεταί τε καὶ φωτίζεται
Ἅπας μοναστὴς τῇ Θεοῦ συνεργίᾳ.
Μεθ' ἃς μέτελθε συγγραφὴν Παλλαδίου·
Καὶ δὴ μετ' αὐτὴν τὴν Ἰωάννου πάλιν
Πρὸς τὸν μαθητὴν Σωφρόνιον γραφεῖσαν (a).

Quatuor principiorum partitionem oſtendens
In maximo virtutum quaternario,
Quo & purgatur, & illuminatur
Quilibet monachus Dei auxilio.
Poſtquam hos legeris, tranſi ad opus Palladii (b),
Tum rurſus ab hoc ad librum (c) Iohannis,
Quem is diſcipulo ſuo Sophronio ſcripſit,

Qui-

(a) *Verſus claudicat: neque vero credibile eſt, Anonymum noſtrum tam turpiter peccaſſe: metricas enim leges probe calluit. Legendum igitur* γεγραμμένην *pro* γραφεῖσαν. *Sed indoctus forſitan librarius cum verſum videret pluribus, quam ceteros, ſyllabis conſtantem, pro* γεγραμμένην *ſcripſit* γραφεῖσαν.

(b) *Forte hic eſt Palladius Galata, Epiſcopus Helenopolitanus, diſcipulus, & familiaris S. Ioh. Chryſoſtomi, qui ſcripſit* Dialogum de Vita Praeceptoris ſui, *editum ab Emerico Bigotio Rotomagenſi Lutet. Pariſ. anno* 1680. *Vid.* Catalogum Cod. Mſs. Graec. Bibl. Medic. Laurent. Florentiae, *auctore Viro Cl. Angelo M. Bandinio, Tom. I. col.* 411. §. 15. Amadutius.

(c) *Iohannis Moſchi liber notiſſimus eſt, qui inſcribi ſolet* λειμών, *aut* ὁ νέος παράδεισος, *h. e.* Pratum, *aut* novus Paradiſus,

Λειμῶνα δὲ κληθεῖσαν ἔυοσμον νέον·
Καὶ τἄλλα τυγχάνοντα τοιουτότροπα·
Καὶ σκητιώτου Δανιὴλ τὰ πρακτέα
Δόξης καταφρόνησιν ἐμποιοῦντά σοι.
Κάλλιστον εἶτ' ἄκουσμα Καλλίστου πατρὸς
Θυμοῦ μαραῖνον τὴν ταρακτικὴν ζέσιν·
Καὶ Δωροθέου θεῖα τῶν δωρημάτων,

Quique *Pratum novum* bene olens vocatus est.
Et alios eiusdem generis libros lege.
Ac Danielis (a) Scetiotae practica documenta,
Quae te inanis gloriae contemptorem facient.
Deinde optima (b) Callisti patris praecepta lege,
Quae animi tui perturbationes compescent:
Et Dorothei (c) divina dona, ac scripta,

In

(a) *Daniel hicce Monachus Scetiota videtur esse. Danielem illum Abbatem, & eius* narrationem de puero Hebraeo per ludum a pueris Christianis baptizato *memorat ex Lambecio Fabricius* Bibl. Gr. *Tom.X. pag.*501. *Operis vero ab Anonymo nostro indicati Fabricius ipse nusquam meminit.*

(b) *Paronomasia in Graeco est, sed latine exprimi nequit: nempe* Callistus *graece valet* optimus. *Quis autem sit iste Callistus, non ausim nunc definire. Si est Callistus Xanthopulus, cuius opus centum capitibus constans inscribitur:* Μέθοδος, καὶ Κανὼν τῆς ἀγωγῆς, καὶ πολιτείας μοναστικῆς, *ut videtur; Anonymus noster valde antiquus non erit. Xanthopulus enim ille Patriarcha Constantinopolitanus saeculo* XIV. *floruit.*

(c) *Hic quoque paronomasia est in Graeco: nam Dorothei nomen derivatur ex vocibus* donum, *ac* Deum *denotantibus. Fuit autem Dorotheus*

Ἐν οἷς λογισμῶν τὰς πολυχιδεῖς τρόπους
Τῆς λεπτότητος τῇ ἀκριβείᾳ γράφει·
25. Μακαρίου τε τοῦ θεοφανύμου λόγους
Ἐξ ὧν προσευχῆς ἐκμαθὼν θεωρίας
Εὐχὴν διάξεις καὶ προσευχὴν ἐργάτῃ·
Καὶ Κασσιανοῦ τοῦ πνέοντος κασσίαν.

In quibus cogitationum multos, varioſque modos
Subtiliter diſcernens deſcribit:
25. Et Macarii, cui recte hoc nomen (a) impoſitum eſt, ſermones,
Ex quibus precandi *theoriam* cum didiceris,
In orationem incumbes, ac preces Deo fundes:
Et librum Caſſiani (b) caſſiam ſpirantis.

Quo-

*theus iſte Archimandrita ſeptimo Chriſti ſæculo clarus. Exſtat illius liber inſcriptus:* Διδασκαλίαι διάφοροι πρὸς ἰδιώτας μαθητάς, *i. e.* Inſtitutiones variae ad ſuos diſcipulos.

(a) *Nempe* Macarius *graece valet* Beatus. *Videtur vero Auctor noſter ex Aſceticis ſeptem Sancti Macarii Aegyptii opuſculis tertium potiſſimum reſpicere, quod* περὶ προσευχῆς, *i. e.* de Oratione *inſcribitur.*

(b) *Forte Iob. Caſſianus, Eremita, Patria Romanus, qui anno Chriſti* CCCCXLIV. *obiit, quique ſcripſit Librum* de octo vitioſis cogitationibus *alterum ad Leontium* de Patribus Sceniotis, *& alterum demum ad Caſtorem Epiſc.* de Inſtitutione, & Diſciplina Coenobiorum Aegypti, & Orientis. *Conjice Bandinium cit. Tom. I. variis in locis.* Amadutius.

Πῶς δὲ παρήσω τὴν Ἰσαὰκ τὸν Σύρον,
30. Ἡσαΐου τε τὴν θεόπνευστον βίβλον;
Ὧν ὁ μὲν οἶδεν ἡσύχῳ καταστάσει
Τὸν νοῦν πτερῶσαι πρὸς προσευχὰς ἐμπύρους.
Ἡσαΐου γραφὴ δὲ πρὸς κοινωνίαν
Μετ' εὐσταθείας ἠθικωτάτης ἄγειν,
35. Ἣν πρακτικῶς δείκνυσιν ἐρρυθμισμένην.
Διέλθοι μοι καὶ δέλτον Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου
Ἀσκητικῶν δ' (a) γνώσεως πλούτου γέμει.
Ἔπειτ' ἐκείνην ἥτις ἐκλήθη Κλίμαξ

Quomodo autem praeterire potero Iſaaci Syri (b),
30. Et Iſaiae Abbatis divinos libros?
Quorum ille quidem novit quieto e ſtatu
Mentem in altum tollere ad fervidas preces fun-
Iſaiae vero ſcripta ad vitae ſocietatem (dendas;
Stabilem, ac bene moratam alliciunt,
35. Quam practice oſtendunt recte informatam.
Percurre etiam, quaeſo, Ephraimi Syri librum (c)
Aſcetis documentis refertum, ac locupletem:
Deinde librum, qui vocatus eſt Scala

Ad

(a) *Poeta noſter Dorice nuſquam loquitur. Quid ergo hic facit Dorica diſtinctio* ἃ *pro* ἅ, *i. e.* quae?

(b) *S. Iſaacus Aſceta, & Anachoreta Syrus, qui ſaeculo* VI. *Spoletum venit, ubi mortem obiit, ſcripſitque Sermonem* de contemptu Mundi, & Monaſtica Diſciplina. *Conſule Fabricium* Bibl. Graec. *Tom.X. pag.*171., *& Bandinium loc.cit. col.*504. §.13. Amadutius.

(c) *Vel Teſtamentum.*

Εἰς ὕψηλὸν πέμπουσα τοὺς βιβηκότας·
Σοφοῦ τε Μάρκου πρακτικωτάτους λόγους·
Καὶ τὴν Διαδόχου γνωστικὴν ἑκατοντάδα·
Καὶ τὴν διπλῆν μάλιστα τοῦ Καρπαθίου·
Καὶ τοῦ γλυκυδοῦ τετράπλην Θαλασσίου·
Νείλου τε χρυσᾶ ῥεῖθρα τῶν διδαγμάτων·
Καὶ δῆτα ταῦτα πάντα συγκαλυπτόμενα

Ad caelum ducens eos, qui per ipſam aſcendunt:
Et ſapientis Marci (a) maxime practicos ſermones:
Et Diadochi (b) gnoſticam Centuriam:
Et duas potiſſimum Carpathii (c) Centurias:
Et quatuor dulciſſimi Thalaſſii (d):
Et praeceptorum Nili (e) aurea fluenta:
Et ea, quibus haec omnia incluſa ſunt,

Scri-

(a) *Hic eſt Marcus Monachus, quem citatum innuit Bandinius in pluribus Graecis Operibus. Vid. Indicem laudati Tom. I.* Amadutius.

(b) *Diadochus Photices Epiſcopus* Capira Centum Aſcetica *conſcripſit.*

(c) *Iohannis Carpathii capita* CCXVII. *memorat Fabricius Vol.* IX. Bibl. Gr. *pag.* 446; *ſed auctor noſter ducenta duntaxat innuit.*

(d) *Thalaſſii Abbatis exſtant quatuor Centuriae Sententiarum.*

(e) *Non alius certe intelligendus venit, quam S. Nilus diſcipulus S. Ioh. Chryſoſtomi, & ex Praefecto Urbis Conſtantinopolitanae Monachus, & Abbas, qui circa ann. Chriſti* CCCCXL. *obiit. Notiſſima ſunt eius Opera.* Amadutius.

Τὰ τοῦ πυρίπνου, καὶ μεγίστου Μαξίμου.
Τί δὲ λέγεις σὺ (a) · τὴν Βασιλείου βίβλον
Τοῦ πανσόφου τε, καὶ μόνου διδασκάλου
Ἀσκήσεως γραφοῦσαν ἀκριβεῖς τύπους;
Οὐ μὴ μετέλθῃς; καὶ μάλιστα σὺν ποθῷ
Τούτων πρὸ πάντων, καὶ πάλιν, καὶ πολλάκις.
Πλὴν εἰ μετήλθῃς ἐκ καλῆς ἀπληστίας
Καὶ τοῦ ταπεινοῦ τρεῖς βίβλους Εὐαγρίου,

Scripta nempe ignem ſpirantis, & vere maximi (b) Maximi.
Sed cur omitto librum Baſilii (c)
Sapientiſſimi, & ſolius magiſtri,
Aſceticae vitae formam accurate deſcribentem?
An non eum leges? imo maxima cum aviditate
Prae aliis omnibus eum leges, & iterum, & ſaepius.
Verum ſi prae laudabili inſatiabilitate legeris
Tres etiam libros humilis viri Euagrii,

Nul-

(a) *Verſus hic ſine dubio corruptus eſt a librario: quomodo autem emendandus ſit, ignoro. Ita eum verti, quaſi ſcripſiſſet Auctor:* Τί δ' οὐ λέγω σοι.

(b) *Paronomaſias ſuperius latine reddere nos minime potuimus: heic viciſſim Poeta graece non potuit: ſed nos vocem* maximi *iterare coegit.*

(c) *Nota ſunt plurima* Aſceticorum *capita a S. Baſilio Magno conſcripta, qui Caeſareae in Cappadocia Archiepiſcopus creatus eſt anno* CCCLXIX., *& Kalendis Ianuarii anno* CCCLXXVIII. *obiit,* Amadutius.

Οὐδὲν βλαβήσῃ, μᾶλλον ὠφέλειά σοι
Γενήσεται, καὶ γνώσεως ὄψῃ βάθος
Ἐκ πράξεως ὑψοῦν σε πρὸς θεωρίαν.
Εἰ δὲ βλέπεις πῦ σῖτον ἐν ζιζανίοις·
Ἀλλ' ὧν ἄριστος ὡς γεωργὸς ἐκτρέπου
Ἐκεῖνα, σῖτον συλλέγων εὐδημόνως·
Ἔνεστι γὰρ καὶ κρεῖσσον ἐκ τῶν χειρόνων.
Θέλεις δὲ βίβλον ἀντὶ πολλῶν μίαν;
Τὴν Ἀντιόχου πρὸς Εὐσταθίου κτῆσαι πόθῳ

Nullo afficieris damno, ſed utilitatem potius
Percipies, & profundam acquirens ſcientiam videbis
Te e *pravi* ad *theoriam* (a) extolli.
Quod ſi triticum alicubi lolio mixtum videris,
Tu iſtud inſtar optimi agricolae reiice,
Scite frumentum colligens;
Nam ex malis quoque libris bona excerpi poſſunt.
Sed numquid librum vis, qui inſtar multorum ſit?
Antiochi opus ad Euſtathium avide tibi compara,

Quod

(a) *Nempe ex Evagrii libris primus eſt* περὶ πρακτικῆς, *i. e.* de vita practica: *alter* περὶ τῶν κατηξιωθέντων γνώσεως, *i. e.* de iis, qui ſcientiam conſequi meruerunt. *Origeniſmi accuſatus fuit hic Scriptor, & damnatus in Quinta Synodo, quod nemo ignorat; ut proinde huc reſpiciat etiam Poetae noſtri monitum, quo lectori indicitur, ut ex Evagrii libris bonum a malo ſecernat, ea ratione, qua Agricola triticum a lolio ſeparat.*

Κλῆσιν λαχοῦσαν πράγμασιν πιστουμένην.
Σοφῶς γὰρ αὕτη τῷ συνοπτικῷ λόγῳ
Ἅπασαν ὠφέλειαν ἐκ πάσης βίβλου
Γραφῆς τε χρήσεις συλλαβοῦσα προσφόρους
Τὰ πάντα πεντήκοντα διπλὰ, καὶ πάλιν
Ἁπλοῖς ἀριθμοῖς εἰς τριάκοντα γράφει.
Λόγοις δὲ τούτοις πᾶσιν ὑψηλὸν βίον
Ἀντωνίου μοι πρόσθες ὡς κορωνίδα.

Quod merito Pandecten vocatur ex his, quae continet:
Nam compendiario sermone egregie
Quidquid utile sit, ex quovis libro,
Et e Scriptura sententias, & dicta utilia depromens,
Omnia in capitibus (a) bis quinquaginta, & insuper
Simplicibus numeris in triginta scribit.
Omnibus vero hisce libris sublimem, quaeso,
Antonii Vitam (b), quasi coronidem adiunge.

(a) *Antiochi opus inscriptum* Πανδέκτης τῆς ἁγίας γραφῆς, *i. e.* Pandectes Sacrae Scripturae, *in capita centum, & triginta divisum est: non vero in* Homilias, *ut male eas vocat Latinus Interpres. Id patet ex Prooemio ad Eustathium Abbatem; ibi enim Antiochus opus suum se partitum esse ait* εἰς ἑκατὸν τριάκοντα κεφάλαια, *i. e.* in capita centum triginta.

(b) *Celebrior est, quam quae heic referatur S. Antonii Abbatis Vita a S. Athanasio Magno Archiepiscopo Alexandriae conscripta. Occurrit nempe inter Athanasii Opera editionis Parisiensis anni*

*ni* MDCXCVIII. *Tom. I. p.* 793. *In Codice Ms. Bibliothecae Mediceae Laurentianae Florentiae Plut.* IX. *n.* XVII., *ubi continentur* Martyria diverſorum Martyrum, *ſive* Oratione Encomiaſticae diverſorum Patrum, & Martyria varia Sanctorum, *pag.* 121, *n.* XVII. *habetur haec ipſa Vita Athanaſiana S. Antonii, quae tamen in fine diverſa eſt ab editis, ut nos monet Clariſſ. Bandinius cit. Tom. I. p.* 417. Amadutius.



EPI-

# *EPISTOLA*
# SANCTI MEROPII PAULLINI
## EPISCOPI NOLANI
# AD ALETHIUM

EX CODICE MS. MEMBRANACEO SAECULI XV
BIBLIOTHECAE MEDICEO-LAURENTIANAE
FLORENTIAE

Quam maxima ex parte anecdotam

*NUNC PRIMUM PROFERT*

PHILIPPUS ANGELICUS BECCHETTIUS
BONONIENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM.

FR. PHILIPPI ANGELICI BECCHETTII

*AD CL. PRAESULEM*

# STEPHANUM BORGIAM

A SECRETIS

SACRAE CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

## PRAEFATIO.

*CUM Vir cl. Iohannes Christophorus Amadutius, cuius doctrinam eximiam, summamque scribendi facilitatem mirari saepe soleo, eam mihi demandasset provinciam, ut Opuscula aliquot, quae & nondum edita forent, & publica luce digna viderentur, ei suppeditarem, quo nova ἀνεκδότων collectio, quae ab eo parabatur, ditari posset; rem summa animi alacritate aggressus sum, non solum ut amico, cui plurimum debeo, morem gererem, verum etiam ut occasionem nactus tuae, BORGIA Praesul doctissime, tam insigni in me benevolentiae ea tandem, qua possem, ratione inciperem respondere. Multa equidem de doctrina, & sapientia tua, multa de comitate, & benevolentia, multa denique de aliis animi, ingeniique tui dotibus eximiis praedicari audiveram; sed cum & ea scripta auro, cedroque digna, quibus vel aliquam Civilis, Ecclesiasticaeque Historiae partem, vel Romanae Ecclesiae iura illustrare, atque tueri omni eruditionis genere, omnique rationum pondere nitebaris, perlegissem, &, quod maximum est,*

*temetipſum ſumma animi voluptate de iiſdem rebus diſſerentem audiviſſem, etſi multa ſatis liberaliter de te dicerentur, maiora tamen abs te praeſtari intellexi. Sed ne incidere videar in eum ſermonem, qui in ore omnium eſt (quotus enim quiſque eſt, qui vel tua ſcripta, vel ea antiquitatis monumenta, quae abs te comparata, & illuſtrata ſunt, ignoret?) mitto ea omnia, quae ad hanc non minimam ſane tuarum laudum partem ſpectant; tuam vero illam humanitatem, qua litteratos praeſertim homines excipis, & benevolentia complecteris ſingulari, tacere nec poſſum, nec debeo. Cum omnium doctrinarum genere inſtructus cognoſceres, planeque ſentires indignum liberali homine eſſe, non id efficere, ut ceteris praeſidio eſſes, quo plurimae commodorum partes ſuis ſtudiis in humanam promanare ſocietatem poſſent, in id maxime incumbendum tibi eſſe exiſtimaſti, ut hominum ſtudia aſſiduis conatibus excitares. Quapropter cum plurimum ſive auctoritate, ſive dignitate valeres; quotquot vel divinis, vel humanioribus litteris operam dant, te unum veluti Maecenatem ampliſſimum merito ſuſpiciunt, & magnopere celebrant, quod eximiam diverſarum rerum notionem, ſcientiamque cum admirabili quadam animi ſuavitate, modeſtiaque ita coniunxeris, ut omnibus te facilem praebendo, multis prodeſſe, obeſſe vero nemini velles. Hinc iure factum noſcunt, ut poſt varios Magiſtratus egregie abs te adminiſtratos CLEMENS XIV., quem ad multorum felicitatem D. O. M. diu ſervatum velit, nova dignitatum acceſſio-*

ceſſione, cum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide te a Secretis ſcienter, prudenterque dederit, te cumulatum voluerit. Sed plura ad virtutes, laudeſque tuas commemorandas congerere opus non eſt, cum te ſummo omnium gaudio, & plauſu intelligo tantis animi dotibus, prudentia, ſcientia, eruditione, aequitate, ac bonitate, & tot demum in Rempublicam meritis dignum eſſe, qui ampliſſimam quamque dignitatem conſequare. Quae cum ita ſint, inhumanus plane, ac difficilis fuiſſem, ſi, cum multis auctus, cumulatuſque beneficiis abs te fuerim, nullam ipſe grati adverſum te animi ſignificationem reciperes: cum vero quae a me perſcribuntur, non ea ſint, quae tibi pro eximia ſcientia, atque eruditione, qua abundas, & praeſtas, offerri poſſint, hanc, quam ex Codice XX. Plutei XXIII. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae, largiente cl. Viro Angelo M. Bandinio eiuſdem Bibliothecae Praefecto ampliſſimo, atque amico noſtro ſpectatiſſimo, exſcripſi, S. Paullini Epiſtolam in grati, obſequentiſque animi mei argumentum interim tibi offerrę decrevi, quo ſaltem tanti Viri nomine, quae mihi deſunt, apud te ſupplerentur. Primae huiuſce Epiſtolae, quae apud cl. Muratorium eſt XXVIII., περιοχὴ iam editae fuerunt, ſed cum cetera deſiderarentur, operae pretium me facturum exiſtimavi, ſi ea publica luce, tuoque nomini inſcripta donarem. De ſcriptis huiuſce S. P. multa dicerem, ſi eſſet hic diſſerendi locus, ſed cum multa apud laudatum Auctorem, & alibi legi poſſint, tu interim mecum hoc munuſculo fruere; quod ſi eo animo acceperis, quo tibi eſt obla-

*oblatum, & illud, quod vehementer expetebam, me conſecutum arbitrabor, & tuis auſpiciis, quae iam incoepi, ad exitum facilius perducam, ut hoc modo etiam intelligas, me tua beneficia, tua conſilia, tuique memoriam, quae ſane mihi utpote Patronorum meorum optimi iucundiſſima eſt, in oculis, ac ſinu continuo ferre. Vale interim, Praeſul doctiſſime, & me, ut facis, ama: ego enim hoc tibi, quantum in me eſt, continuis ſtudiis perſuadere conabor, me nihil, quod mei muneris, gratique hominis ſit, umquam praetermiſſurum, ut te videar, ſi non omnino, aliqua ſaltem ratione demeruiſſe.*

*Dabam Bononiae III. Id. Septembris anno a Chriſto nato* MDCCLXXIII.

EPI-

# EPISTOLA SANCTI PAULLINI EPISCOPI NOLANI.

*Beato, & merito Ven., ac dilectiſſimo fratri Alethio Meropius Paullinus ſalutem* (a).

EO gratias, qui odorem gratiae in te ſuae per eloquia litterarum tuarum manifeſtavit mihi. Per fratrem enim cariſſimum in Deo Victorem meum hoc munere militantem Deo, ut fraternae ſerviat caritati, hiſque nobis per longinqua terrarum intervalla diſcretis impigrum annuis diſcurſibus tabellarium ſe praebeat, & religioſiſſimis officiis mutuo viſitantium corporalem laborem ſpiritali impendat affectu: per hunc ergo fratrem, & conſervum in Domino & communis unanimus; nam & vobis ea, ſi qua nobis inſita eſt, acceptiſſimum gratia gloriatur. Per hunc, inquam, mihi, ſancte,



(a) *In Codice Ms. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae haec Epiſtola cenſetur numero* 28.

venerabilis o frater, tam dulce, quam inſperatum mihi munus accepi epiſtolam tuam, in qua nobis bonus cordis tui theſaurus apparuit, ut merito percepti officii tui benedictione gauderem, cum faciem interioris tui caſtiſſimo ſpeculatus eloquio, quantum in te mihi a Domino adiutorium conferam, agnoſcerem. Sed in his, quae mihi iniungenda dives inopiae aeſtimator putaſti, ſanctam quidem puriſſimae caritatis fiduciam demonſtraſti: fama tamen, quantum intelligo, dominici operis perſuadente, inductus es, ut ſecundum opus Domini, quo nobis curam redemptionis noſtrae inſpirare dignatus es, ingenii quoque, & oris opes ſuppetere nobis arbitraris: ſed bonam concupiſcentiam magna fide vacuis opinionibus ſpes illuſa decepit. Unde enim mihi tantum aquae, quantum ſitis, aut tale poculum, quod digne bibas, unde tantos panes, quantos poſtulas? Sed ipſe tibi auctor iniuriae tuae eris diutius eſurire, qui evangelicos lucis, & vitae cibos in alta huius ſaecu-

li

li nocte deſiderans, ſomnolenti, & pauperis amici egenam penum pulſas, qui flumina aquae vivae ſitiens, arentem venulam ſcalpes, & humorem de pumice conaris exprimere. Aut enim nullus mihi de inſpirantiae ſiccitate, aut amarus de malitiae felle fons intus eſt, quem utinam orationes, & litterae tuae ſaepius impenſae mihi exundarent, dulceſcere faciant fidei tuae ligno, & eloquii ſuavitate, ut & verbo Dei, quod bonus miniſter pio ore deprompſeris, quaſi virga Prophetae percuſſo corde (a) mortem operatur, quod licet auctore diverſo, tamen uno utrumque Sanctorum Dei ſpiritu, & verbo Scriptura concinit: mors enim vera virtutis operatio eſt, nam ſi virtus Dei, & vita noſtra Chriſtus eſt, vere dictum vides mortem feſtinare hoc moerore, quo virtus operiatur, & homo totus, quaſi quadam inferni voragine, graviore triſtitia, ut Apoſtolus ait, abſorbeatur. Sed Deo gratias;

(a) *Hoc deſinit in editis Codicibus; quare cetera deſiderabantur.*

tias, quod huius vitae laboris, & timoris mihi compendium facit conſcientia virtutis, & prudentiae tuae, cuius largius tibi lumen eſt, quam ut triſtitiae tenebris poſſit operiri, quin potius tua virtus triſtitiam tegit, mortemque ipſam, & vim noxii moeroris abſorbet: non id verbis meis tibi largior, neque coniectura virtutis tuae loquor, opera tua hoc de te conteſtantur, & me compertum loqui cogunt. Veniam enim iam ad praedicationem operum tuorum, & pios actus de lacrimarum ſanctitate tranſibo, ſua enim cuique parti debita perſolviſti, lacrimas corpori fundens, eleemoſynam animae infundens, vere conſcius veritatis, & filius lucis, ubi mortem ſciebas eſſe, fleviſti, ubi vitam credis, operatus es, vacuis inania, vivis viva dependens. Itaque patronos animarum noſtrarum pauperes, qui tota Roma ſtipem meritant, multitudinem in aula Apoſtoli congregaſti, pulchrum quidem tanti operis tui ſpectaculum paſtor (a), vide-

(a) *Legendum forte*: praebens.

videre mihi videor tota illa religioſa venerandae plebis examina, illos divinae pietatis alumnos tantis influere penitus agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri Baſilicam, per illam venerabilem regiam, caerulea eminus fronte ridentem, ut tota intra Baſilicam, & pro ianuis atrii, & pro gradibus campi ſpatia coarctentur; video congregatos ita diſtincte per accubitus ordinari, & profluis (a) omnes ſaturari cibis, & ante oculos evangelicae benedictionis ubertas, eorumque populorum imago verſatur, quos quinque panibus, & duobus piſcibus panis iſte verus, & aquae vivae piſcis Chriſtus explevit, non uſitato more creatura cibis hominum, ſed novo munere iam paratos hominibus cibos gignens, cum operta manus divino ſuggeſtu viſibiles epulas miniſtraret, & in alimenta corporea ſpiritali fecunditate proflueret, ineffabilibus panis, & carnis fontibus in ſpem ieiunarum adhuc gentium eſurientes fidem populos carnaliter ſatians, & ſpi-

(b) *Lege* : profluentibus.

& ſpiritaliter irrigans, inde prehenſis actibus comeſta ſupplens, edenda ſuppeditans, & ad morſus edentium fragmina ſubciſiva depromens, ut inter manus, vel in ore ſumentium creſcentibus cibis ſentirent potius eſcarum ſuarum copiam, quam viderent morſibus redeunte conſumpto, & dentibus ſubeunte ſumendo. Ipſius enim Domini exemplum in opere eius gerens praecepiſti turbam reſidere in terra, ſic enim iuſſit, ut legimus, in terra recumbere, nam in te & ipſe Dominus erat ſicut eſt, quia nemo Chriſti opera ſine Chriſto agit, cuius munere, & benedictione copioſos tibi panes, ut accepiſti in nomine eius, ſicut diſcipuli benedictos acceperant dividendos per innumera pauperum ora, demenſus es, & manducaverunt, & ſaturati ſunt, & quod abundavit de panibus, tulerunt omnes, unuſquiſque ſportas ſuas plenas. Sed tu omnem redundantiam fragmentorum ſpiritualium collegiſti, de duodecim cophinis Apoſtolicam fidem, de ſeptem ſportis gratiam ſpiritalem,

non

non minus mirabiliter operante in tuis panibus Chriſto, in tuo iſto convivio panem tuum carnalem in caeleſtes cibos tranſtulit, & *in* aeternam tibi ſaturitatem paravit. Recumbens enim iure cum patribus Abraham, Iſaac, & Iacob convivio Chriſti, veſte praeditus nuptiali, quia tecum iſta in pauperibus ſuis Chriſtus recumbit, & habet in te filius hominis, ubi reclinet caput ſuum. Iuvat etiam nunc in ſpectaculo, & praedicatione tanti operis immorari: non enim hominis, ſed divina per hominum opera laudamus; quam laetum Deo, & Sanctis Angelis eius, de hac tua, ut dici ſolet, plena ſpectaculum facer editor exhibebas, quanto ipſum Apoſtolum attollebas gaudio, cum tam eius Baſilicam denſis inopum caetibus ſtipaviſſes, vel qua ſub alto ſui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, & Apoſtolico eminus ſolio coruſcans ingredientium lumina ſtringit, & corda laetificat, vel qua ſub eadem mole tectorum geminis utrimque porticibus latera diffundit, quave

quave praetento nitens atrium fuſo veſtibulo eſt, ubi cantharum miniſtrat manibus, & oribus noſtris fluenta ructantem faſtigiatus ſolido aëre tholus ordinat, & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie quatuor columnis ſalientes aquas ambiens. Decet enim ingreſſum Eccleſiae talis ornatus, ut quod intus myſterio ſalutari geritur, ſpeciali foris opere ſignetur, nam & noſtri corporis templum quadriiugo ſtabilimento una evangelii fides ſuſtinet, & cum ex eo gratia, qua renaſcimur, fluat, & in eo, quo vivimus, Chriſtus revelatur, profecto nobis in quatuor vitae limina illuc aquae ſalientis in vitam aeternam fons naſcitur, nos quoque ab interno rigat, & fervet in nobis, ſi tamen poſſumus dicere, vel ſentire mereamur habere nos cor ardens in via, quod Chriſto nobiſcum inambulante flammatur. Quam laetum ergo tunc Deo, & Angelis pacis, & cunctis Sanctorum Spiritibus pacis ſpectaculum praebuiſti, primo de Apoſtoli veneratione, cuius fidem, ac memoriam

riam tam multiplicata opulentiae devotione celebraſti, ſacras primum hoſtias, caſta libamina cum ipſius acceptiſſima commemoratione Deo offerens, deinde munificentia conſequenti teipſum in corde mundo, & ſpiritu humiliato acceptiſſimum ſacrificium offerens Chriſto, in cuius tabernaculis verae iubilationis hoſtias immolaſti, reficiens, & paſcens eos, qui benedictione numeroſa laudis hoſtias ſacrificarent Deo. Quam bono tunc urbs noſtra tumultu fremebat, cum tu miſericordiae viſcera reficiendis, & operiendis pauperibus effundens pallida eſurientium corpora reformares, aridas ſitientium fauces rigares, tremula algentium membra veſtires, omnium conſona in Dei benedictione ora reſerares, ſed egena corpora fovens, redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione divina tuum potius ſpiritum ſaginaſti, & benedictae coniugis animam refeciſti, in illa transfudente Chriſti manu, quae tua pauperibus erogabatur, cum in ictu oculi permutata

mutata in caeleſtes cibos carnalis eſca tranſiret, & quantum pecuniae gravi dextera geminatis excipientium palmis hilaris dator, & infaticabilis diſtributor infuderas; tantum illico Angelis intervolantibus gremio Domini gaudentis invectum in triceſimos tibi fructus, ac reditus numerandum reponebatur. Neque divitiae tantum, ſed & gratiae benedictionum addebantur praemiis veſtris, vobis enim ad iuſtitiam deputabatur conclamatio illa, & comprecatio pauperum, qua per veſtra munera benedicebatur Domino, facili enim via ad aurem Dei voces inopum diriguntur, quia oratio pauperis, ſicut ſcriptum eſt, nubes penetrat. Poteras, Roma, illas intentatas tibi in Apocalypſi minas non timere, ſi talia ſemper ederent munera Senatores tui. Vere tunc nobilis eſſet illa nobilitas, quam ſacri Patres Abraham, Iſaac, & Iacob paternis ſinibus exciperent, quam Prophetae, Apoſtoli, Martyres, ideſt Caeli Senatus agnoſceret, quam poſt togam nullo immundo

ſangui-

ſanguine funeſtam regali promiſſae lucis ſtola Chriſtus indueret, & in libro albo, hoc eſt libro vitae perennis adſcriberet. Vere illae divitiae divites forent, quibus non draconis antiqui cruenta ſaevitia, ſed Dei Salvatoris immenſa bonitas paſceretur. Si quid beſtiis, aut gladiatoribus comparandis male profligatur, & alendis id proprie donaretur, & ſaluti carnis, melius nobis eſſet vivere, quam perire, ſed & avaritia, & liberalitate perverſa Deo pro nobis egentes, Diabolo contra nos prodigi ſumus, damnum in lucro, & in damno lucrum ducimus, vitamque noſtram nec egentem redimere curamus, qui pro vita mortem emimus ſumptuoſe. Beata eſſet noſtra conditio, ſi aeque Deo, ut hominibus diſplicere timeremus, vel curaremus placere, ſi tantum praecepta Chriſti, quantum populi ſibila vereremur, & ſi tanto laus, quae ex Deo eſt, quantum iſte de vulgo plauſus emeretur. Beatus, qui non abiſti in tale conſilium, nec in cathedra peſti-

lentiae, ſed in Apoſtoli ſede, & in Eccleſiae coetu, ideſt Chriſti theatro, non ſeditioſis, ſed benedicentibus cuneis, Deo ipſo ſpectatore, laudaris, Eccleſiae numerarius, non arenae, nec inanis gloriae, ſed aeternae laudis ambitor, non gladiatores, nec beluas emis, ſed quibus veros gladiatores, hoc eſt harum tenebrarum principes perimas, agis, & quibus veras beſtias, hoc eſt omnem Diaboli virtutem ſuperes, & preſſo impune veſtigio conculces leonem, & draconem. Beatus es, in quo benedicetur nomen Domini, & qui habes ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem, qui te viciſſim in aeterna tabernacula ſuſcipiant; Non enim timebis illius divitis locum, qui in tartaro, hoc eſt in inferno inferiore, & exterioribus tenebris merito igne circumdatus, vel extremo contempti in hac vita pauperis digito rogabat aſpergi, cui Pater Abraham vere reſpondit: memento, fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus mala, nunc vero hic conſolatur, tu cruciaris.

ris. Ob hoc illi, cenſeo, divites hanc vel poenarum, vel deliciarum viciſſitudinem perhorreſcant, qui iſtis ſibi tantum, & vitiis affluentes, aut opibus abſtruſis incubant, nec partem poſuere pauperibus, aut male prodigis. Egent merito, & aeterna egeſtate plectendi, qui tam viles ſibi fuerint caritate luxuriae, ut in his pretioſior fuiſſe arguatur unius diei menſa, quam totius ſui temporis vita. Hi ergo non communicabunt in aeternum caeleſtia bona pauperum, quoniam iſta pauperes bona terrena neſcierint. Et horum gravius lingua torrebitur, qui debilitates modo pauperum vel horrent, vel irrident, faſtidioſi lethaliter, & faceti, qui praetereunt, & canibus lambenda dimittunt ulcera proximorum, quia omnis natura homini homo proximus. Nonne, quaeſo te, iſti verius dicendi canes, qui ne canes quidem in curandis, atque mulcendis hominibus imitati ſunt, & de micis ſaltem a menſa ſua cadentibus ſatiari cupientes fratres, hoc eſt natura ma-

tre germanos, non ſolum obſeratis foribus excludi, ſed etiam ſaevis verberibus expelli iubent; unde credo illum in Evangelio divitem tartari, cum totus, ut clamat miſer, cruciaretur in illa ignei gurgitis flamma, ſolius tamen linguae refrigerium poſtulaſſe, qua ſine dubio ideo vehementius cremabatur, quia in Lazarum ante ianuam ſuam ſtratum, & canibus relictum ſaepius ſuperbo avarus ore peccaverat. Ob hoc & alibi praemonemur ponere ori noſtro cuſtodiam, docente Sapientia per Salomonem, quia in manu linguae vita, & mors, & alibi: verbis tuis, inquit, iuſtificaberis, aut verbis tuis condemnaberis. Tibi igitur, Frater in Chriſto unanime, cui ſub hac poena metus, & cum illa ſede communitas, cuius os benedictione plenum eſt, cuius divitiae ubera pauperum ſunt, cuius domus Chriſti eſt, qui non iacere mendicum ante ianuam tuam, epulante te, ſuſtines, ſed contra tectis tuis laetus inducis, aut tecum epulaturum, aut etiam ieiunante, ſaturandum. Tibi felix

a pec-

a peccatis egeſtas, & beatae virtutes in opibus ſunt. Tu & inter illos pauperes iure numeraberis, quorum eſt regnum Caelorum, & inter illos divites, quorum poſſeſſio civitas firma eſt: quia ſpiritu Dei dives es, & tuo pauper, tales enim divites cum pauperibus ſuis diligit Deus, & ſacris litteris celebrat, paginarumque perennium auctoritate nobilitat. Hoc enim ipſum conſiderare te volo, eorum divitum, quorum vel crimina, vel ſupplicia in Scripturis ſignata ſunt, nomina ſignificata non eſſe, quia ſine dubio indigni erant, ut ſermone divino nominarentur, quos aut vitae oblitteravit impietas, aut avaritia delevit, ideo praedixerat Dominus in Propheta de ipſis: nec memor ero nominum eorum per labia mea, hoc eſt per immortalium duo teſtamenta verborum, quae oris divini labia bene dicuntur, quia & cohaerent ſibi, & uno Dei verbo aperiuntur, & per ipſa nos Deus oſculatur ab oſculo oris ſui. Haec ergo labia pollui noluit nominibus impiorum divi-

divina iuſtitia, & idcirco neque illius divitis nomen exſtat, cuius vanitas, & avaritia ſignatur, cui, conſumpta iam vita de vitae apparatibus cogitante, dictum eſt: ſtulte, hac nocte expoſtulatur anima tua, quae paraſti, cuius erunt? Neque huius e tartaro divitis nomen inſigne eſt, quod non caſu praetermiſſum, edito pauperis nomine, intelligimus. Illius quoque divitis, qui gloriatus in lege completa conditionem adipiſcendae perfectionis divitiarum ſuarum amore averſatus eſt, coecitatem legimus, vocabulum non habemus. Erat enim, inquit, multas habens poſſeſſiones, & idcirco ſecuta eſt illa ſententia, quae regnum Caelorum omni diviti pene clauſerat, niſi Deus, ut ſolus bonus, omnipotentia ſua excepiſſet hoc donum, ut divites pauperum voluntate ditaret. Hi ergo divites inviſi Deo, & oblitterati memoria, qui terrenis caduca praeverterint, quique maluerint terrae, quam Deo credere, eſcam tineis, praedam furibus congerentes, ut ſcriptum eſt, cui theſaurizant ignorantes, quia

nolunt intelligere, cui debeant theſauros ſuos, digni, qui neſciant, quo ſucceſſore dimittant, quia neſciunt, quo largitore poſſideant. Quid enim habes, o homo, quod non acceperis, & quod accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis, & de ſuis Deo donis ſuperbis? Talium, mi Frater, divitum nomina in Evangelio non ſcribuntur, quia nec in libro vitae habentur. Denique ut ſcias, non divitias, ſed homines pro earum uſibus eſſe culpabiles, vel acceptos Deo, lege, Sanctos Patres Abraham, & Iob Deo de opibus ſuis amicos factos; nam in Evangelio, quo ille tartareus contemptor Lazari dives praetermiſſus eſt, illum ab Arimathea Ioſeph divitem nominari videmus; beatus enim eſt, qui ſpecialiter intellexit ſuper egenum, & pauperem pio Chriſti corporis obſequio muneratus, nec iudicem pro iniuria Dominici corporis interpellare veritus, & pio ſumptu pretioſi velaminis, & ſepulcri novi dives in Domini ſepultura. His te pagina ſancta nominibus adſcribet, & in talium divitum

ſorte numeraberis, quorum opes aequabant animo; non enim ſibi habentes habebant, ſed nemo quidquam dicebat ſuum, & humani nihil a ſe alienum putabant, ut illa quondam princeps fidei multitudo, cui unum cor, & una anima, & omnia communia erant. Et vide rationem; facile iudicabis parricidiali crimine contemni pauperes noſtro arbitrio, quos nullo videmus a nobis Dei opere diſcretos. Quomodo enim excludimus a noſtris modicis habitationibus, quos Deus una nobiſcum iſtius mundi concluſit domo? Quomodo dedignamur terrenae poſſeſſionis uſu facere participes, quos & inviti divinae originis unitate conſortes habemus? Hoc tenens Abraham amicus Deo factus, hoc obſervans Loth evaſit a Sodomis, hoc ſectatus Iob de Diabolo triumphavit. Aperiamus & nos domicilia noſtra fratribus, vel timentes periculum ſupradictorum exemplo Patrum, ne forte quaſi hominem excludentes, & Angelum repellamus, vel ſperantes mereri & Angelos hoſpites,

tes, dum omnis advenae tranſitum prompta humanitate ſuſcipimus. Pater enim Abraham, dum peregrinos ſuſcipit, excepit Dominum cum Angelis Chriſtum, & in hoſpitali tabernaculo illum, quem in Evangelio coram in ſemetipſo ſalvato exhibet, & idem vidit. Sodomitas hoſpitum damnavit iniuria, & Loth eo potiſſimum liberari meruit affectu, quo hoſpites praetulit filiabus. Non ille impius, ſed perfecte pius, non enim filias viles habebat, qui inde mercedem meruit, quod pietati domeſticae praetulerit iuſtitiam caritatis, hoc eſt timorem Dei, cuius ubique praecepto, & ſpiritui recipiendis hoſpitibus ſerviebat, ac perinde iam tunc perfectum fidei mens illa complevit, quo dicitur nobis: omnis, qui reliquerit fratres, & ſorores, aut matrem, aut filios, vel filias propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit. Huius mentis perfectio, vel iſtius perfectionis mens iam ab origine ſaeculi iuſtum Loth ab illo pentapolitano incendio liberavit, meruit-

que

que per hoſpitalem domum totam in domum urbem munere Dei ſortitus accipere, quia & ille, qui inceſta, & impia civitate ſolus, & pius fuerat, & pudicus, ipſam ſuperans ſanctitate pietatem, non dubitavit, quantum in ipſo fuit, pudicitia filiarum redimere hoſpitum caſtitatem. Iob vero ille, igne exinanitum argentum, ſe ſemper oculum caecorum, & pedem claudorum fuiſſe teſtatur, horumque operum in ipſo tentationis ſuae certamine mercedem repoſcit, ſpoliatur opibus patrimonii, non animi, ſed invulnerabilis corde nec labiis peccat, nudatus ambitione ſubſtantiae, ſed armatus virtute patientiae, orbatus prole, non cordis lumine filios mentis ſuae, hoc eſt iuſtitiae opera complectitur clamans: nudus exivi de utero matris meae, nudus oportet in terram revertar, nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre poſſumus. Sed quia ſpiritales opes non amiſerat, temporales quoque divitias pro patientiae triumpho recepit, & ditatus eſt triplo, quia

quia probatus, & purgatus erat ſeptuplo; Labores enim, ut ſcriptum eſt, fructuum ſuorum manducaverat in operibus piis elaborando. Idcirco fructus laborum ſuorum manducavit in hoc etiam ſaeculo praemia laborum recipiendo. Cum his divitibus tibi ſors eſt, qui eumdem Deum divitiarum tuarum cauſſam eſſe meminiſti, liber avaritiae, quia ſervus iuſtitiae iniquo mamona iuſte uteris, nec captivus, ſed vere dominus es pecuniae tuae, quia poſſideris a Chriſto, cui captiva eſt ipſa captivitas. Gloriare igitur in Domino, quia non caro, & ſanguis tibi, ſed ipſe, qui lumen eſt verum, & ſapientia Dei Chriſtus, prudentiam huius providentiae revelavit, quia intelligis in omni egeno, & paupere Chriſtum cibari, potari, & contegi, viſitari ſecundum illos Patres, quos ob hoc meritum, quod ſupra dictum eſt, in die mala liberabit Dominus. Ipſe te Dominus conſervet, & vivificet, & beatum faciat, & ferat opem nunc tibi ſupra lectum doloris tui:

tui: Convertat planctum tuum in gaudium ſanctum tibi, conſcindat ſaccum triſtitiae tuae, & reddat tibi laetitiam ſalutaris tui, confirmante ſpiritu principali, firmet in orationibus, & eleemoſynis, ut arcum aereum, brachia tua, perficiat pedes tuos, tamquam cervi, ut ad fugiendum Diabolum, & conſequendum velox ſis, & fixis gemino utriuſque teſtamenti ungue veſtigiis in via Domini firmiter ſiſtas, ereptis manu Domini pedibus tuis a lapſu, & oculis a fletu, ut cum benedicta coniuge in aeternum tua placeas Domino in regione vivorum. Fiet enim tibi ſecundum fidem tuam, quia fidelis Dominus in verbis ſuis, memor erit in aeternum huius ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiet, teque ipſum vivam ſibi hoſtiam in odorem ſuavitatis accipiet remunerator veſtri foenoris in illa die, qua locupletior creditoribus debitum ſuum cuique depoſitum multiplicata reddet uſura; nec longe retribuendi dies, albentibus iam propinqua eſt regionibus.

Inte-

Interim recipiendas opes feſtina tibi meditatione, promittens multo uberius animum tuum venturi fide, quam meo, vel cuiuſquam ſermone ſolaveris; non enim modica animis credentium voluptas eſt promiſſa fidelibus bona dulci cogitatione praeſumere, & in Paradiſo iam animis deambulare. Si agricolam iuvat ſpem meſſis in ſegete mirari, dum a meſſe fructum laboris exſpectat, faciliuſque feret moram temporum, avaritia votorum ſi paſcat oculos, dum ſperat eventus, quanto maiorem nos capere poſſumus voluptatem, licet peccatores, attamen fideles ſervuli, quibus ſparſi ſeminis non apud dubiam terrae fidem, ſed apud incommutabilem veritatem ratio mandata eſt, quia hoc ſperamus, quod veritas ipſa promiſit. Non enim ab humanis opinionibus, nec a fabuloſis Poetarum ſomniis, aut Philoſophorum phantaſmatibus poſt hominem futura colligimus, ſed ab ipſo fonte veritatis haurimus fidem rerum. Quis autem potuit divina

vina magis, quam Deus ipſe operum, & ſtatutorum ſuorum conſcius noſcere? Non traduces in corpora aliena animas, ut ſint monſtra poſt hominem, neque omnino ſine corpore permanſuras, aut in corpore metiemur occiduas. Blandiantur ſibi mendaciis Poetarum, qui non habent veritatis Prophetas. Cenſeantur opinionibus erraticis Philoſophorum, qui non illuminantur teſtimoniis Apoſtolorum, & ſe deſperatione ſolentur, qui ſpem non habent; dicentes umbrae: tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignatus eſt, & nemo revertetur; qui excaecati nequitia, & infidelitate ſua, non poſſunt dicere: credo videre bona Domini in terra viventium. Nos vero tam egenis remediis non indigemus, quibus ipſa veritas Dei Verbum Deus reſurrectionem carnis in vitam aeternam & ſpopondit, & probavit reſurgens; ipſe enim Dei Filius, per quem omnia, & ex quo nihil, ipſe teſtatus eſt: Ego ſum reſurrectio, qui cre-

credit in me, etſi mortuus fuerit, vivet, & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in aeternum, quod ne verbo ſolum aſſereret, ſanxit exemplo, ſuumque ipſum, in quo omnis ſuſceptio, hominem reſuſcitatum a mortuis oſtendit diſcipulis, in ſemetipſo fidem carnis aſſignans, cum dixit Thomae: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & infer manum tuam huc, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me habentem videtis. Haec igitur teſtimonia, haec documenta, hanc lucem fidei habentes, qua occaſione poterimus de reſurrectione dubitare, quam & de Verbo Dei audivimus, & Apoſtolorum oculis vidimus, manibuſque palpavimus, quique ita per Chriſtum Deo iuncti, & inſiti ſumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra noſtra Spiritum Sanctum, quem dedit nobis, & noſtri pignus habeamus in Deo carnem Chriſti, quia intervallum iſtud immenſum, quo

a di-

a divinis mortalia diſparantur, medio, & inter utraque communi interventu ſuo, velut quodam, ut ſic dixerim, ponte continuat, ut eius tramite terrena caeleſtibus conſerantur, cum hoc corruptibile noſtrum incorruptio ſuperna perfuderit, & mortale noſtrum, ut ſcriptum eſt, immortalitas hauſerit, mortemque devictam victrix in Chriſto, & a Chriſto nobis vita ſorbuerit; quod ut aſſequamur, non de veritate tanti boni, ſed de noſtri captu meriti dubitare poſſumus: ſed agamus, quae Chriſtus iuſſit, ut adipiſcamur, quae Chriſtus ſpopondit. Veritas illius nobis adeſt, illi fides noſtra non deſit, omnibus vita, omnibus via, omnibus ianua eſt, nemini clauſit ſua regna, quibus & vim permittit inferri. Perge quo curris, & apprehendas, in quo apprehenſus es: enitere per anguſtam viam, ut pervenias in amplam poſſeſſionem hereditatis aeternae. Habes iam in Chriſto magnum tui pignus, & ambitioſum ſuffragium coniugem, quae tantum tibi gratiae

in

in caeleſtibus parat, quantum tu illi a terris opulentiae ſuggeris, non illam, ut dixi luctibus caſſis honorans, ſed vivis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet, iamque illi huius operis tui uſus in fructu eſt, cuius adhuc tibi munus in ſemine eſt. Iam honoratur tuis illa meritis, iam paſcitur tuis panibus, & affluit tuis opibus in veſtitu deaurato, circumamicta varietate, pretioſo lumine, non eget alienae manus digito refrigerari, propriis ipſa digitorum ſuorum roribus, ideſt dexterae tuae operibus infuſa, non aeque ampla dote nubentem locupletaveras, ut nunc ditificas quieſcentem. Quantam enim tunc partem tuorum munerum cepit, cum eo ſolo, quod poterat induere, frueretur, nunc quantumcumque contuleris, totum ſimul hominum ſenſu voluptate dives animo poſſidebit. Beata, cui tam numeroſa apud Chriſtum ſuffragia ſunt, & cuius caput tam multiplex ambit illuſtrium corona gemmarum, nec alienis intexta floribus, ſed

domeſticis coruſca luminibus. Vere illa pretioſa Domino anima, quae de tribus pretium margaritis capit, eſt enim coniux fidei, ſoror virginitatis, filia perfectionis, cui Paulla mater, ſoror Euſtochia, tu maritus. Opto te valere.

HOMI-

HOMILIAE III
VEN. BEDAE PRESBYTERI
EX COD. MS. SAECULI XIII
Bibliothecae Congregationis Caſinenſis
Florentiae
*NUNC PRIMUM ERUTAE*
A D. PETRO ALOYSIO GALLETTIO ROMANO
ABBATE FONTIS VIVI
IN AGRO PARMENSI.

ALEXANDRO. MATTHAEIO
HIERONYMI . DVCIS . IOVII
ET . LAVRAE . CATHARINAE . ALTERIAE . F
CANONICO . BASILICAE . PRINCIPIS . APOSTOLORVM
GRATIARVM . IVSTITIAEQVE . REFERENDARIO
VIRO
AVITAE . PIETATIS . AEMVLATORI
PROBORVM . DOCTORVMQVE . CVLTORI
CVI
NOBILISSIMI . ROMANI . GENERIS . SPLENDOR
COMITAS . CVM . GRAVITATE . CONIVNCTA
MORVM . INNOCENTIA
VTRIVSQVE . IVRIS . PERITIA
SACRARVM . DISCIPLINARVM . STVDIVM
BENEVOLENTIAM . OMNIVM . ORDINVM
MIRIFICE . CONCILIARVNT
D. PETRVS . ALOYSIVS . GALLETTIVS
ROMANVS
ORD. S. BENEDICTI . CONG. CASINENSIS
ABBAS . FONTIS . VIVI
BEDAE . VENERABILIS PRESBYTERI
PIISSIMAS . LVCVBRATIONES
E . TENEBRIS . PRIMVM . ERVTAS
PRAESVLI . CLARISSIMO
ET . AMICO . SVAVISSIMO
D. D. D

# EDITORIS MONITUM IN TRES BEDAE HOMILIAS.

*EX Codice* XLII. *Abbatiae Florentinae tres prodeunt Homiliae, quas Venerabilis Bedae Presbyteri, ac Monachi Angloſaxonis, cuius nomen praeferunt, genuinum fetum eſſe haud iniuria quis ſuſpicabitur. Dictio certe tota huius Sancti Patris eſt nec omnino inelegans, nec adfectatae eloquentiae curioſa, ſed temperata, & media; ſententiarum, quas alias ipſe tradit, aequabilitas, imo voces eaedem, eaedemque periodi ubique obviae ſunt, quod unicuique eius tum Commentaria in Evangelia, tum ceteras in eadem argumenta Homilias vel leviter intuenti nullo negotio adparebit. Ipſum vero in ſermonibus componendis ſaepiſſime eadem prorſus verba adhibuiſſe, quibus in Evangeliis exponendis uſus fuerat, luculentiſſime unuſquiſque agnoverit, qui praedicta eius in Evangeliſtas Commentaria cum Homiliis contulerit.*

*Verum enim vero quum de Bedae lucubrationibus agitur, parum profecto haec omnia viros graviſſimos movent, quin eas ad ſpuria facile reiiciant. In Epitome aiunt Hiſtoriae Eccleſiaſticae Gentis Anglorum indicem ipſe Operum ſuorum exhibuit, ubi* Homiliarum Evangelii *libros duos ſe ſcripſiſſe fatetur. At in Bibliotheca nunc Colbertina, olim Thuanea, duo, teſte Mabillonio in Bedae Elogio, adſervantur pervetuſti Codices eius com-*

*plectentes Homilias, in quorum primo ante annos* DCCC. *exarato triginta novem tantum continua ſerie reperiuntur, in altero vero, qui aetatem annorum* DC. *praeſert, in duos libros diſtinguuntur, praemiſſis ad utrumque* Capitulationibus. *Ea libri I. capitulatio vigintiquinque enumerat Homilias, altera vero libri poſterioris vigintiquatuor, unde clariſſimus Mabillonius concludit praeter haſce quadraginta novem, reliquas, quae iuxta editiones ad* CXL. *uſque excreverunt, aut ſubditicias eſſe, aut dubias, aut certe ex ſinceris in Marcum, & Lucam Commentariis expreſſas fuiſſe. Hiſce unice adductus Caſimirus Oudinius in Sanctorum Patrum editores acerbius, & contumelioſius invehitur, quaſi* ſumma impudentia ab annis circiter ducentis abſque fundamento, & ratione, ut ſuis omnia darent vel coniecturis, vel adfectibus, vel phantaſiis, ſcripta veterum Patrum innumeris extraneis non amplificaverint, ſed corruperint magno Eccleſiae probro *Paulloque poſt veluti rem prorſus certam ſtatuit omnes Bedae Homilias, exceptis iis* XLIX., *quae in duobus praedictis Colbertinis Codicibus reperiuntur, ſpurias eſſe, & a recentioribus interpolatoribus confictas, qui vix* CCCC. *aetatis annos excedant.*

*Haec itaque ſi ita ſe habent, actum eſt prorſus de iis, quae quum Bedae adſcribantur, eo in indiculo non memorantur, deque tot, tantiſque ſermonibus, qui ſub eius nomine in optimis leguntur editionibus, ac e tenebris erui poſſunt in dies.*

*Ego*

*Ego vero etſi nullus umquam diffitebor plura Bedae Opera ſubpoſita in eius Operum editiones irrepſiſſe, ea tamen, quae ex Mabillonio, & Oudinio adduxi, tanti mihi non videntur, ut inde certa quaedam regula deduci queat, qua earum ſive falſitas, ſive genuinitas adſeratur. Enimvero* Indiculus *ille Bedae Operum, qui ad calcem Epitomes Eccleſiaſticae Hiſtoriae Gentis Anglorum legitur, num ipſum Bedam parentem agnoſcat, in dubium a pleriſque merito vertitur. Plura etenim Epitomae illi a recentiori manu adiuncta fuiſſe, ex eo luculentiſſime adparet, quod etſi a ſeverioribus Criticis exiſtimetur recte Simeonem Dunelmenſem, ſive Turgotum in libro ſecundo de Dunelmenſi Eccleſia cap.14. adfirmaſſe Bedam ad annum uſque* DCCXXXV. *vitam perduxiſſe ſuam, multis tamen tum impreſſis, tum manuſcriptis Codicibus Epitome illa ad annum uſque* DCCLXVI. *excurrat. Profecto quum Hiſtoriam ipſam Gentis Anglorum ad annum* DCCXXXI. *Beda deduxerit, & Epitomes initio ita exordiatur:* Verum ea, quae temporum diſtinctione latius digeſta ſunt, ob memoriam conſecrandam breviter recapitulari placuit, *manifeſtum eſt Epitomen quoque annum* DCCXXXI. *excedere non debere. Quare haud improbabile videtur omnia, quae exinde leguntur, a recentiori quodam adiuncta fuiſſe. Hinc in editis pleriſque, manuque exaratis Codicibus optimae quidem notae, ut noſter eſt* LXIV., *ſaeculo* XIII. *conſcriptus, ultra annum* DCCXXXI. *non excurrit. Bedae genuina putaverim in ea deſinere verba, quae in fine Epitomes leguntur:*

Haec

Haec de Hiſtoria Eccleſiaſtica Brittaniorum, & maxime Gentis Anglorum, prout vel ex litteris antiquorum, vel ex traditione maiorum, vel ex mea cognitione ſcire potui, Domino adiuvante, digeſſi. *Reliqua vero, quae ſequuntur*, Beda famulus Chriſti, & presbyter &c. *cum eius Operum indiculo omnia prorſus ſubditicia eſſe exiſtimaverim.*

*Nonnulla heic adnotari queunt, quae ab humili, modeſtiſſimoque viro, qualem Bedam novimus, abhorrere videntur. Certe iactantiam quamdam ſapiunt ea verba*: Cunctumque ex eo tempus vitae in eiuſdem Monaſterii habitatione peragens omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter obſervantiam diſciplinae regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui. *Praeterea in huius ad Indiculum praefationis fine profitetur Beda ea ſe adnotaturum, quae in Sacram Scripturam conſcripſerat, & tamen Indiculus omnes enumerat ſive ſacri, ſive profani argumenti libros, &, ut uno verbo dicam, aut nihil prorſus praefatio haec ad Indiculum pertinet, aut incautum impoſtorem habet auctorem. Quare prudenter mihi egiſſe videntur clariſſimi Colonienſes Bedae Operum editores, qui praefationem hanc characteribus oblongis, ac ſi dubia eſſet, poſt Epitomen ediderunt, Indiculum in generalem iniecerunt praefationem, ibique non veluti Bedae, ſed* cuiuſdam anonymi fetum *dederunt. Quod ſi quis obſirmato animo contendere perge-*

pergeret Indiculum illum a Beda conſcriptum fuiſſe, adeoque duos tantum Homiliarum libros ibidem recenſitos edidiſſe, annon reponere poſſem, quid vetat Bedam ex Homiliarum ſuarum acervo quadraginta novem ſelegiſſe, in duoſque libros diſtinxiſſe, aut poſt compoſitum Indiculum alios concinnaſſe ſermones, aliaque Opera conſcripſiſſe? Haec innui non profecto, ut trium Homiliarum, quas heic profero, genuinitatem omnino certam adſererem, ſed potius, ut probarem haud firmo, tutiſſimoque Mabillonium, & Oudinum argumento niti, quum praeter illas XLIX., ceteras, quae Bedae nomen praeferunt, Homilias illi abiudicant, Indicemque illum ita ſincerum Bedae Opus exiſtimant, ut eo uti poſſint ad vera a falſis eius ſcriptis ſecernenda.

Beda vero natione Anglus natus eſt anno DCLXXII. in agro Dunelmenſi. A puero Monachus evaſit, annoque DCCI. a Sergio Papa Romam evocatus an iter ſuſceperit non conſtat, quin potius Monaſterii ſui limitibus numquam exiiſſe videtur. De anno eius emortuali variant auctores. Rectius tradunt, qui eum anno DCCXXXV. obiiſſe dicunt. Sepultus eſt in Monaſterio ſuo Girvicenſi, eiuſque oſſa Dunelmum deinde ſunt translata, & in eadem theca repoſita, qua S. Cuthberti, qui Bedae morti interfuit, recondita ſunt.

## LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

N illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis patri, da mihi portionem ſubſtantiae, quae me contingit, & diviſit illis ſubſtantiam, & cetera.

*Homilia I. Beati Bedae Presbyteri.*

EVangelica lectione, Fratres Cariſſimi, audiſtis duorum filiorum parabolam; ſed homo iſte, qui duos filios habuiſſe dicitur, Deus Pater intelligitur, duorum videlicet genitor populorum, atque creator. Maior enim filius eos, qui in unius Dei cultura permanent, ſignificat, minor eos, qui in cultura Idolorum Dominum deſeruere. Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiae, quae me

me contingit, & diviſit illis ſubſtantiam, quam ſubſtantiam hic Evangelicus Pater dividit filio ſpirituali, niſi prudentiam, & intellectum, vel etiam libertatem arbitrii, quae verae, & perpetuae ſunt opes bene utenti ea? Dividit enim Deus Pater hanc filiis ſubſtantiam, quia in prima nativitate aequaliter cunctis ratio naſcentibus datur, ſed in ſubſequenti converſatione unuſquiſque plus, aut minus hanc habere ſubſtantiam invenitur, dum hanc in ſemetipſis per malam voluntatem negligentes deſerunt, diligentes autem cuſtodiunt naturale rationis bonum. Alius enim memor, & intelligens Domini Creatoris eſſe ea, quae ab eo ſumpſerat, ita ut ſunt, Dei Patris eſſe credens, quaſi paterna cuſtodit. Alius autem a ſemetipſo haec eſſe, & ſua exiſtimans, ſicut propriae poſſeſſionis licentia diſpenſandis abutitur, & cito profligata facultate privatur, unde ſequitur: *Et non poſt multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam,*

*quam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe*. Qui addit longe non locum mutando, ſed adverſionem mentis expreſſit, quia quanto plus quiſque in pravo opere deliquit, tanto a Dei gratia longius recedit. Et ita, qui obliviſcitur Deum Creatorem ſuum, hic vere peregrinari a Deo dicitur, quia mala converſatio in ſaeculari deſiderio non ſolum peregrinum, ſed & alienum Deo hominem facit, ſicut & hi, qui peregrinos ſe faciunt, non cum concupiſcentiis carnis, & deſideriis huius mundi a caeleſti regno exſulantur. Hac ergo peregrinatione per magnam ignorantiam peregrinos nos fuiſſe ſciens Beatus Apoſtolus dicit: *Vos, qui longe aliquando fuiſtis a Deo per incredulitatem, & malam converſationem veſtram, nunc facti eſtis prope in ſanguine Chriſti ab aeternae mortis erepti interitu*. Nolite vos iterum terrenis inhaerendo deſideriis elongari a Domino, cum adhuc eſtis prope verae fidei confeſſionem, perſeverate in bonorum operum exhortatione, in voluntate

tate adhaerentes ei omni tempore, quia ipſe portionem hereditatis ſuae, ideſt gaudia vitae aeternae daturus eſt omnibus invocantibus eum in veritate, ideſt, qui in voluntate eius ſe cuſtodire contendunt. Sequitur: *Et poſtquam omnia diſſipavit, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe coepit egere. Et abiit, & adhaeſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Poſtquam ergo quis pro peccatis ſuis obliviſcitur domini ſui praeceptis, & eius voluntati non famulatur, ſpiritualibus deſtituitur opibus, ideſt prudentia, & intellectu omnes ornatus animae conſumit. Porcos paſcere dicitur, hoc eſt ſordidas, & immundas in anima ſua enutrire cogitationes, eſcas inutiles deſiderare, quae nihil corpori proficiunt, ideſt carnales concupiſcentias adimplere, quod eſt ſeductio, & corruptio vitae, quae virtutem animae nullam praeſtant, ſed totis

totis penitus animam bonis privant, eamque perimunt, quibus daemonia ſemper animas fidelium decipere, atque ſeducere feſtinant. Talis igitur merito egere dicitur, quia omnium bonorum operum fructu, & meritis eſt deſtitutus, de quo ſubditur: *In ſe autem reverſus dixit, ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in caelum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me, ſicut unum de mercenariis tuis.* Quis ergo iſte filius, qui in longinquam regionem peccando a Deo elongatus, tandem poenitentia motus, redit confitendo ad patrem, niſi Chriſtianus, qui ſe libidine, ac luxuria perdiderat, & elongavit a Deo, probroſis ſe actibus, ac tota foeditate polluerat, & porcos pavit, ideſt daemoniorum ſe mancipavit ſervitio, qui cum ſe inſtinctu, & miſericordia Dei recognoſcit omni bono deſtitutum, & undique inopia boni operis obſeſſum, revertitur ad indulgentiam patris, & ſe coram Angelis Dei in caelo, & San-

ctis Dei peccaſſe, & ſe reum eſſe confitetur, imploratur miſericordiam, & indulgentiam recipiet peccatorum? Nos ergo, fratres cariſſimi, convertamur ad Dominum Deum noſtrum, & agamus praeteritorum poenitentiam peccatorum. Nulla enim debemus deſperatione deterreri, cum ſpecialiter hanc parabolam in perſona poenitentis videamus aptari. Ipſo Domino manifeſtius declarante, & dicente: *Dico vobis, ſic erit gaudium in caelis coram Angelis Dei ſuper uno peccatore poenitentiam agente*. Dedit ergo Dominus poenitentibus viam egreſſionis, & eos, qui a malis ſuis ſe ad priſtina bona convertunt, deſtinavit in ſorte iuſtorum. Igitur, cariſſimi, ſi quis inter nos gravium ſcelerum cogitatione maculatus ſit, ſi quis ſordidarum voluntatum ſit peſte pollutus, expandat miſericordi Deo ſuae iniquitatis arcanum, aperiat internae praevaricationis opericulum. Nota quidem ſunt Deo cuncta, quae gerimus, quae etſi non dixerit lingua, non poteſt celare conſcientia:

tia : Patet quippe ei, omne, quod clauſum eſt, & oculis eius apertum eſt, quicquid in cogitationibus noſtris obſtruſum videtur. Ergo cum omnia noverit, non quaerit pro ignorantia confeſſionem, ſed pro miſericordia deſiderat confiteri, & non invenire. Haec igitur agnoſcentes, dilectiſſimi, unuſquiſque ſerenum per officia confeſſionis inſtituat, cauſſamque ſuam ſemetipſo accuſante componat, dictet in ſe ſub brevitate ſententiam, ut Chriſti iudicis poſſit vitare iracundiam; quiſquis enim illum cupit habere miſericordem, exerceat in ſe ipſe cenſuram. Totum autem, quod timemus, fiat veniabile, ſi in vobis inventa fuerit haec plenitudo iuſtitiae. Ecce Dominus confeſſionis noſtrae munus exſpectat, & cum ſit nota divinis oculis hominum conſcientia, vult poenitenti ea, in qua eſt, lacrimis ſacrificium confeſſionis offerre. Poenitentia, inquam, eſt, quae ſub uno actu officia diverſa complectitur. Hinc enim publicat confitentem, hinc reatum non denegat, unde crimen excuſat.

cuſat. Hinc obiicit propria peccata peccanti, inde indulgentiam exhibet confitenti. O magnificum bonitatis divinae theſaurum! O ſingulare clementiſſimi Iudicis inſtitutum! Cum apud ſaeculi Iudicem confeſſus ſtatim dirigitur ad poenam, apud Dominum confitens mox pergit ad veniam, cui honor, & gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen.

## LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

IN illo tempore: Prope erat Paſcha Iudaeorum, & aſcendit Hieroſolymam Ieſus, & invenit in templum vendentes oves, & boves, & columbas, & nummularios ſedentes, & cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, & reliqua.

*Homilia II. Beati Bedae Presbyteri.*

PRaeſentem Sancti Evangelii lectionem, Fratres cariſſimi, ſollicita intentione oportet conſiderare; quia appropinquante Paſcha

Paſcha Iudaeorum, Dominus aſcendit Hieroſolymam, nobis profecto dat exemplum, quanta animi vigilantia Dominicis debeamus ſubiici imperiis, cum ipſe Dei Filius eadem, quae ex divinitatis auctoritate ſtatuit, decreta cuſtodivit. Ne enim putarent homines abſque crebris orationum, bonorumque actuum ſacrificiis vel ſupplicia evadere, vel ad gaudia aeterna poſſe pertingere, ipſe ad orandum, ad adorandum in Hieruſalem, ad imolandumque Dei Filius aſcendit, qui veniens Hieroſolymam, quid ibi geſſerit, audiamus: *Et invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes, & cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo*. Inter omnia ſigna, quae fecit Ieſus, hoc videtur eſſe maximum, quod unus homo, & ipſe in illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis apud Iudaeos, ut poſtea crucifigerent, principibus eorum cernentibus, lucra ſua deſtrui audiebat, potuitque unius flagelli verbere tantam eiicere multitudi-

nem, & talia facere, quae infinitus non potuiſſet facere exercitus. Igneus enim fulgor radiabat ex oculis eius, & divinitatis eius maieſtas lucebat in facie, & ideo manum ei non audebant iniicere principes. Videbantur enim licite vendi in templo, quae ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrerentur Domino; ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenae negotiationis fieri, eiecit omnia, ipſoſque factores repulit. Quid ergo putamus, fratres mei, facere Dominum, ſi rixantes, ſi otioſis fabulis vacantes, vel aliquolibet ſcelere reperiret occupatos, qui hoſtias, quae ſibi immolabantur, ementes in templo vidit, & eliminare feſtinavit? Haec omnia propter illos dicta, & facta ſunt, qui ingrediuntur Eccleſiam non ſolum intentione orandi negligenter, verum etiam ea, pro quibus orare debuerunt, augent, cum vitiis, odiis, detractionibuſque alios inſecuntur, addentes videlicet peccata peccatis, nec timentes ex eo diſtricti iudicis examinatione damna-

damnari . Unde multum tremenda ſunt haec , dilectiſſimi , digno expaveſcenda timore , ſedulaque praecavendum induſtria , ne veniens Dominus , quando minime cogitamus , perverſum quid in nobis , unde merito flagellari, ac de Eccleſia eiici debeamus, inveniat ; & maxime in Eccleſia , quae ſpecialiter domus eſt orationis, timendum ſatis eſt , ne nos aliud in ea , quam ipſe diligit , agentes inveniat , & ipſe ſe nobis , qualem non volumus , diſtrictus redditor oſtendat , ne nos in templo ſuo nummularios , ideſt terrenis rebus, & concupiſcentiis huius mundi ſervientes , & deſideriis irretitos inveniat, ne inter Sanctos poſitos aliquid ibidem propter vanam mundi gloriam operari , ne ficte bona , & mala aperte facientes reperiens damnet, ne vendentes boves , ideſt verbum praedicationis , quod impendimus , non divino amore , ſed aeterni quaeſtus intuitu audientibus impertire, ne vendentes oves, ut ſupra diximus , humanae laudis appetitu opera exercere , de quibus alibi Dominus

 dicit,

dicit. *quia receperunt mercedem ſuam*, ne nos vendentes columbas inveniens damnet, ideſt acceptam Spiritus Sancti gratiam non propter gratis, ut praeceptum eſt, ſed propter pretium, impoſitionem quoque manuum, vel ordinationem cuiuſquam, qua Spiritus Sanctus accipitur, etſi non ad quaeſtum pecuniae, ad vulgi tamen favorem tribuere. Notandum eſt autem, quia non ſoli venditores ſunt columbarum, & domum Dei domum negotiationis facientes, qui ſacros ordines largiendo pretium inquirunt, verum etiam hi, qui gradum, vel gratiam in Eccleſia ſpiritalem, quam Domino largiente percipiunt, non ſimplici intentione, ſed cuiuslibet cauſſa humanae retributionis exercent. Quicumque ergo tales ſunt, ſi nolunt, veniente Domino, de Eccleſia auferri, auferant iſta de ſuis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis, unde iuſtam in futuro ſentient vindictam. Sequitur: *Recordati ſunt vero diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuae comedit me.*

Zelo

Zelo domus Patris Salvator eiecit impios de templo. Zelemus & nos, Fratres cariſſimi, domum Dei, & quantum poſſumus, ne quid in ea pravum geratur, reſiſtamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, ſuperbia tumidum, ſi detractionibus adſuetum, ſi ebrietati ſervientem, ſi luxuria ſupplantatum, ſi iracundia turbidum, ſi alicuiquam vitio ſubſtratum, ſtudeamus, inquantum facultas ſuppetit, caſtigare polluta, ac perverſa corrigere, & ſi quid de talibus emendare nequimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore, & maxime in ipſa domo orationis, ubi Corpus Domini conſecratur, ubi Angelorum ſanctorum praeſentia ſemper adeſſe non dubitatur, ne quid ineptum fiat, nequid, quod noſtram fraternamve orationem impediat, totis viribus abigamus. Sequitur: *Reſponderunt ergo Judaei, & dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis, quia hoc facis? Reſpondit Jeſus, & dixit eis, ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* De quo templo dice-

diceret Evangeliſta, poſt aperuit, videlicet de templo Corporis ſui, quod illi deſtruebant in morte, cum eum crucifigebant, ſed ipſe die tertio a mortuis excitavit. Quia ergo ſignum quaerebant a Domino, quare ſolita commercia proiiceret de templo, reſpondit, ideo ſecretiſſime impios exterminari de templo, quia ipſum templum ſignificaverit templum Corporis ſui, in quo nulla fuerit macula peccati, neque immerito lapideum purgavit ſceleribus templum, qui templum Corporis ſui, quod verum Dei fuerat templum, ab hominibus morte ſolutum, Divina ſuae Maieſtatis potentia excitare poſſet a morte. Quia ergo iam prope eſt tempus, quo ſolutionem eiuſdem templi venerabilis, quae facta eſt a perfidis Iudaeis, & excitationem, quam ipſe tertia die, ſicut promiſit, mirabiliter exhibuit, annua ſolemnitate celebrare deſideramus, mundemus templa corporum, & cordium noſtrorum, ut Spiritus Dei habitare dignetur in cordibus noſtris. Et iuxta quod Apoſtolus ammonet, abie-

abiectis operibus tenebrarum, induamus nos arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus, non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & aemulatione, ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus ante omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

## LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

IN illo tempore erat Ieſus eiiciens daemonium, locutus eſt mutus, & admiratae ſunt turbae, & cetera.

*Homilia III. Beati Bedae Presbyteri.*

VIrtutes quidem Domini noſtri Ieſu Chriſti factas eſſe in plebe Iudaeorum audivimus, & credimus, ſed miracula, quae nunc legebantur, requiramus. *Erat*, inquit Evangeliſta, *Ieſus eiiciens daemonium*,

*nium, & illud erat mutum, & cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, & admiratae sunt turbae.* Homo iste mutus, & coecus incredulos significat, omnesque malivolos, qui mandata Domini, nec operibus facta, nolunt ad imitandum videre, nec aure cordis ad intelligendum audire, qui vinculo infidelitatis, & invidiae in lingua ligati, ut ipsa audita Dei mandata aliis invident dicere, & adnuntiare contemnunt, sive qui idola muta, & surda colunt, coeci, & muti sunt, dicente Psalmista: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Tria igitur signa simul in uno homine isto facta sunt, coecus inluminatur, & mutus loquitur, & possessus a daemone liberatur, quod & tunc quidem carnaliter factum est, sed & quotidie in sancta Ecclesia geritur, cum per sanctos praedicatores quis ab infidelitate convertitur ad fidem, ut expulso, & abrenuntiato diabolo, cui ante servivit, ad fidei lumen redit, & ad agnitionem superni Creatoris venit; ac deinde lau-

laudem Dei iugiter ex ſeipſo proferre non deſinit, & *aliis* verbum veritatis, quantum valet, atque aeternae ſalutis gaudia annuntiare contendit. Quidam autem dixerunt, in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemones. Phariſaei, & omnes ſimul increduli, & perverſi opera Dei calumniabantur. Quibus ipſe Dominus alibi ait: *Vae vobis, qui clauditis regnum caelorum, nec ipſi intratis, nec alios per invidiam introire permittitis*. Sequitur: *Et alii temptantes ſignum de caelo quaerebant*. Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit: *Omne regnum in ſe ipſo diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadit. Cogitationes hominum nemo novit, niſi ſolus Deus*. Ideo ergo, quia Iudaei credere noluerunt in Dominum Ieſum, nos ergo eum ex fide diligamus, & timeamus, quia per ipſum facta ſunt omnia, & ipſe cogitationes, & corda omnium novit, & ipſe reddet unicuique ſecundum opera ſua. Ideoque non ad dicta Iudaeorum, ſed cogitationibus eorum reſpondit,

dit, ut vel ſic compellerentur potentiae eius, quia dixerunt intra ſe, eum in Beelzebub, ideſt in poteſtate principis daemoniorum, non in poteſtate Dei eiicere daemonia. Oſtendit enim regnum ſuum individuum eſſe, qui ubique regnat, cuius regni non erit finis. Et ideo ſe in hunc mundum veniſſe, ut diaboli regnum deſtrueret, & portas regni caeleſtis omnibus credentibus, & per opera iuſtitiae intrare volentibus aperiret, & his, qui in eo ſpem ſuam figerent, aeternae ſalutis gaudia pateſaceret. Eos autem, qui in diabolo ſpem potius, quam in eius miſericordia ponerent, diviſos eſſe a Beatorum conſortio, & ab aeternae vitae gaudio expulſos innotuit. Grave igitur ſcelus eſt opera Dei diabolicas credere virtutes. Ideoque, dilectiſſimi, nolite diabolo acquieſcere ſeductori, ſed potius Dei inhaerentes voluntati ponite in eo ſpem veſtram, & ipſe vos diriget in omni bono. In omnibus igitur anguſtiis, & tribulationibus veſtris, in omnibus preſſuris, quae-

quaecumque evenerint in hoc mundo, a Domino Deo omnipotente quaerite miſericordiam, & indulgentiam. Quaerite eius miſericordiam fide recta, caritate ſincera eum diligite, credentes, quicquid tribulationis acciderit, vel anguſtiae, hoc pro peccatis noſtris maxime accidiſſe. Confitemini peccata veſtra Deo, & Sacerdotibus eius, & ſanctis viris in Eccleſia, & agite poenitentiam de omnibus, quae egiſtis, illicitis, eleemoſynis abluite a vobis ſordes animarum veſtrarum, vociferate ad Dominum puro corde, fide ſincera, & caritate perfecta, ponite ſpem veſtram ſemper in miſericordia eius, credentes, quia, quicquid ab eo fide recta, & ſincera petitis, accipietis. Ipſe ſtatim paratus eſt ſua miſericordia in menſa omnibus ſe invocantibus, in veritate indulgentiam, & refrigerium praeſtare ſempiternum. Nolite vanis daemoniorum ſeduci erroribus, toto corde diaboli machinamenta deſpicite. Si enim ſemel, aut bis, aut forte ter, quaterve nequitias, quas diabolus in

vos

vos temptando conatur immittere, toto animo, & tota fide contemnitis, & in eadem cautela ſemper vigilare contenditis, ita ipſum diabolum Deus a veſtra infeſtatione dignabitur repellere, ut numquam vos poſſit ſua calliditate decipere. Nolite ergo ſeduci, fratres, nolite alibi auxilium quaerere, niſi ad Chriſtum Dominum noſtrum. Nolite ab eo recedere, & a vanis, & inutilibus praecantatoribus, & a diabolicis auguriis quaerere remedia; quia quando aliqua neceſſitate, vel anguſtia, aut etiam tribulatione, vel infirmitate corporis a Domino flagellamur, ad requiem, & ad remedium ſempiternum vocamus. Et quomodo ad illum pervenire volumus, ſi ab illo flagella patienter, atque humiliter non ſuſtinemus? Quapropter ſufferamus patienter eruditionem Patris caeleſtis, ut ad patriam pervenire mereamur regni aeterni. Haec, dilectiſſimi, ideo dicimus, ut ne quis ex vobis cum aegrotatur, vel alia quacumque preſſura, vel tribulatione patitur, aliunde, niſi

niſi a Domino, auxilia quaerat, vel deſideret remedia, quia ipſe ſolus, & verus eſt medicus animarum noſtrarum. Ideo ad illius toto corde, & tota mente tendamus miſericordiam, de illius ſemper in quibuslibet anguſtiis adiutorio praeſumamus. Quia percutit, & medetur ipſe vulneribus; inficit, & ipſe ſanitatem infert ſempiternam, cui eſt honor, & gloria per immortalia ſaecula ſaeculorum. Amen.

# *FUNERARIA*
## DE OBITU
## DIVI ALTI DE COMITE
## PER BENEDICTUM ANAGNINUM

QUAE

*NUNC PRIMUM PRODEUNT*

EX COD. MS. CHARTACEO SAEC. XV

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII
*AD SPECTATISSIMOS*
ACADEMIAE LITTERARIAE VOLSCORUM
VELITRIS INSTITUTAE
# SOCIOS
## PRAEFATIO.

*EST ingenui hominis gratum ſe praebere erga eos, quos ſibi benevolos ſenſerit, quibuſque ſe obſtrictum eſſe iure, ac merito oporteat. Scilicet vobis iam libuit, Socii Spectatiſſimi, in Coetum veſtrum Litterarium Velitris inſtitutum, cui Volſcorum nomen, ad honorificas conditiones, quibus vetuſtiſſima Civitas veſtra excelluerat, veluti redivivo appellationis iure inſtaurandas, indidiſtis, me inglorium hominem, Dictatore Clemente Herminio Borgia, cuius virtutes, ac merita nobis iam fata inviderunt, cooptare, vobiſque in Litterarum, & Societatis ipſius commodum me adlaborantem adſciſcere* (a). *Quare ne me ingratum, & inoperoſum prorſus haberetis, ſtatui inter ea, quae otii cauſſa interdum molior, aliquid vobiſcum conferre, quo me beneficii veſtri memorem, tum & exempli ſectatorem quodammodo praeberem. Eſt nunc ad manus Laudatio anecdota Alti de Comite, quam ſi ex Codice Chartaceo ſaeculi XV. Tuderti apud ingenuum Adoleſcentem Eu-*

 *tychium*

(a) *Diploma datum eſt poſtridie Nonas Februarias ann.* CIↃIↃCCLXIX.

*tychium Sbarram adſervato nunc primum in lucem proferens vobis exhiberem, atque dicarem, nihil me facturum eſſe intelligebam, quod non vobis aliquo nomine conveniret. Altus de Comitibus ſiquidem Praeſes fuit Velitrarum, ac Veliternos foedere coniunctos ſecum habuit, cum in Chriſtophorum Caietanium Regni Siciliae Protonotarium, & Fundi Dominum arma movit. Patet id ex luculentiſſima Civitatis veſtrae Hiſtoria* (a), *quam Popularis veſter longe doctiſſimus, & eximium Sacerdotii exemplar Alexander Borgia primum Nucerinus Epiſcopus, mox Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus ſummo ſtudio, & ingenio elaboravit; tum docet etiam Concordia, quam Archivium veſtrum adſervat, quaeque peracta eſt anno* CIↃCCCCXXV. *inter Velitrarum Urbem, & Chriſtophorum Caietanium, alioſque ex eadem familia de praedis, excurſibus, & captivis, quos eiuſdem belli tempore fecerant Veliternenſes in Caietaniorum ditionibus, & ob id D. ducatus, ut aiebant, Caietaniis perſolverunt. Quis autem Altus fuerit, praeter haec, quae nunc delibavi, docebit ipſa Laudatio, quam vobis exhibeo, adnotationeſque quinetiam, quas in ima ora ſubieci. Addam vero nunc ſummatim cetera, quae Vir Cl. Felix Contelorius* (b), *& Marcus Dionyſius* (c) *attu-*

(a) *Iſtoria della Chieſa, e Città di Velletri Lib IV. ſec. XV. n. 49. pag 367.*

(b) *Genealogia Familiae Comitum Romanorum &c. Romae ex Typogr. R. C. A. 1650. in 4.*

(c) *Genealogia di Caſa Conti brevemente deſcritta &c. In Parma per gli Eredi di Eraſmo Viotti 1663. in 4.*

*attulerunt. Altus noſter filius fuit Ildebrandini, qui & Aldebrandinus dictus eſt, quique fuit Dominus Caſtri Vallis Montonis, ſive, ut alii malunt, Vallis Montanae, quam vetus Labicum Scriptores nonnulli, & Contelorius ipſe* (a) *cenſuerunt; quamquam Franciſcus Ficoronius Vir apud Antiquarios ſatis celebris in Caſtro Lugnani, quod Patriam habuit, quodque a Valle Montana M. paſſibus diſtat, olim exſtitiſſe contendat* (b). *Ildebrandinus quapropter Altum natum ſuum emancipavit a. d. IX. Kal. Decembris ann. CIↃCCCCVII., eique iure proprio, & in perpetuum Caſtrum Vallis Montonis, Lugnani, Sacci cum Molendino, & territorio citra flumen verſus eamdem Vallem Montonis conceſſit* (c). *Fratres habuit Altus Lucidum S. Mariae in Coſmedin Diaconum Card., Gratum, & Sagacem olim Abbatem Sublacenſem, & dein Epiſcopum Carpentoractenſem* (d). *Duas inſuper Sorores habuit, quarum una Angela Franciſca matrimonio coniuncta fuit Franciſco de Comite Montisfortini Domino, altera Lucretia Urſi Urſinii coniux fuit* (e). *Fuit Altus Sacri Hoſpitii Apoſtolici Magiſter, aliaque munia, & honores obtinuit, de quibus adnotationes, quas Laudationi eius appoſuimus, ne actum agamus, conſuli poterunt. Cetera penes Contelorium, & Dionyſium*



(a) *Loc. cit. pag.* 20.

(b) *Le Memorie ritrovate nel Territorio della prima, e ſeconda Città di Labico, ed i loro giuſti ſiti &c. In Roma* 1745. *in* 4.

(c) *Contelor. pag.* 21.

(d) *Contelor. pag. ead., & Dionyſ. pag* 142.

(e) *Dionyſius pag.* 142., & 143.

*ſium habentur , quibus addam , quae ex Aſcanio Landio Borgia veſter ſupra laudatus* (a) *exhibuit , anno ſcilicet* CIↃCCCCXXI. *Altum noſtrum una cum Laurentio de Comitibus Cardinale Eugenii IV. partibus contra Veliternos adhaeſiſſe , dum tumultus , & bella vigerent , quae Columnenſes , Sabellii , Caietanii , aliique excitaverant . Infauſtas illas temporum vices nemo certe invideat . Volupe tandem vobis erit , Socii Spectatiſſimi , exhiberi a me nunc vobis in ima ora potiores nonnullarum chartarum partes , quibus caret Contelorii Genealogia , quaſque ipſe , dum Caeſis eſſem Octobre menſe anni* CIↃIↃCCLXIX. *una cum altero Populari , & Socio veſtro longe Cl. Stephano Borgia a Secretis Congreg. de Propaganda Fide , Alexandri fratris filio , & Clementis Herminii fratre , ex ſchedis ipſius Contelorii , quae cum pulvere , & blattis colluctantur , exſcribendas curavi , & in quibus duorum nobilium Veliternenſium Civium , & Oppidorum , quae vel in Agro veſtro ſunt , vel contermina habentur , mentio occurrit . Earum vero autographum membranaceum exſtabat penes Finiam Gentem Montisfortini , ex quo exceptum exemplar , quod ſervabat Stephanus Serangelus eiuſdem Oppidi Civis , a quo & alterum Contelorius obtinuit* (b) . *Sed praeſtat modo*

(a) *Iſtoria di Velletri lib. IV. ſec XV. n. 30. p. 355.*

(b) Die 12. Septembris 1366. Indictione IV. Pontificatus Urbani Papae V. anno quarto Magnificus Ciccus de Comite filius q. Magnifici Viri D. Nicolai de Comite , ſua bona , libera , & placabili volun-

*modo ad Laudationis Auctorem gradum facere. Fuit is Benedictus Anagninus, qui eumdem paullo ante ipſius*

voluntate, ſponte &c. fecit, conſtituit &c. ſuum verum, & legitimum Procuratorem &c. Nobilem Virum Luccium Pylei de Velletro, licet abſentem &c. ad eumdem, & ſe repraeſentandum coram Magnifico, & Potenti Viro Cicco de Ceccano filio q. Magnifici Viri Guillelmi de Ceccano &c., & generaliter, & generaliſſime compromittendum omnes, & ſingulas controverſias &c., quas dictus Conſtituens habet &c. aliqua occaſione &c. cum Magnifico Viro Nicolao de Comite fratre germano dicti Conſtituentis, & ſpecialiter praetextu, & occaſione ſucceſſionis bonorum, & haereditatis q. communis eorum Parentis, nec non ſucceſſionis, & hereditatis q. Magnificorum Virorum D. Innocentii, & D. Riccardi de Comite filiorum q. Magnifici Viri D. Nicolai de Comite, ac fratrum germanorum reſpective ipſius Conſtituentis. Aſſerens dictus Conſtituens vidiſſe, & ſcire omnem diſpoſitionem ultimae, & inter vivos, quae facta apparent per dictos eidem Conſtituenti communes Parentes, & per praedictos fratres eidem germanos &c., & praetextu, & occaſione Terrarum, & Caſtrorum Montisfortini, Colliſdeferro, Roccemaximi, Turriculae, & partis Caſtri Aſſurae, videlicet medietatem dicti Caſtri, & bonorum, & rerum aliorum Territoriorum, & Vaſſallorum dictorum Caſtrorum, & occaſione Caſtri Pruni, Caſalis Sexani, & Territoriorum eorumdem, ac bonorum q. dictorum eidem Parentum poſitorum in Civitate Romana

in

*ipſius Alti obitum concinnavit, & amico ſuo Evangeliſtae de Valle Montonis Iuriſconſulto dicavit.*

De

in Contrada de Cavallu, & bonorum poſitorum in Territorio Core, & in Cora, quae bona remanſerunt in bonis, & hereditate praedicti D. Nicolai de Comite Patris ipſius Conſtituentis, & generaliter quacumque alia occaſione faciente haberet dictus Conſtituens cum Nicolao fratre ſuo praedicto &c. Actum in Caſtro Montisfortini, videlicet in Roccatum dicti Caſtri praeſentibus Nobilibus, & diſcretis Viris &c.

Nicolaus Burellus de Caſtro S. Laurentii Notarius.

Die 20. Septembris 1366. Indictione, & Pontificatu, *ut in retroſcripto &c.* Magnificus Vir Nicolaus de Comite filius q. Magnifici Viri Nicolai de Comite, fecit &c. Procuratorem &c. Nobilem Virum Petrum Cõtum de Velletro ad ſe repraeſentandum coram Magnifico, & Potente Viro Cicco de Ceccano filio q Magnifici Viri Guillelmi de Ceccano &c. compromittendum &c. *ut in alio antecedente &c.* Actum in Caſtro Collisferri Communitatis, videlicet in Domibus Roccae dicti Caſtri, praeſentibus his Teſtibus Nobilibus Viris Boetio Pilei de Velletro, Iohanne Riccardi de Monteſortino, Notario Antonio Iohannis Rubei, Nicolao Boniannis de Colleferro, & Noſo de Acuto Teſtibus &c.

Tutius Magiſtri Petri de Ceccano Notarius.

Die 20. Decembris 1460. Indictione 8. Pontificatus ... II. ideſt ſecundi. Magnifici DD. Stephanus, & Alexander de Comite Domini Montisfortini per ſeſe, & eorum propriis nominibus,

*De eo nihil habet Alexander Magiſtrius in Hiſtoria Anagnina* (a), *etſi nonnullos armis, litteris, & dignitatibus inſignes Cives recenſendos ſibi ſumpſerit* (b). *Neque etiam quidquam in Archivo Cathedralis Anagniae, quod exacto nuper menſe una cum laudato Cl. Praeſule Stephano Borgia ſcrutatus ſum, quid-*

nibus, quam per ſuos heredes, & ſucceſſores, quam vice, & nomine Magnifici Proſperi de Comite ...., & filii Magnifici D. Antonii de Comite germani fratris dictorum DD. Stephani, & Alexandri, pro quo ... cum conſenſu, & voluntate Magnificarum Dominarum Pernae Gaytanae Matris dictorum DD...., & Dominae Antonellae de Sangro Matris eiuſdem D. Proſperi, & Curatricum, ſeu Tutricum eius, ſponte &c. donarunt &c. Nobilibus Viris Benigno, Honorato, & Pellegrino filiis q. Nobilis Viri Petri Fini de Cora, & ad praeſens ſubditis dictorum DD., & habitatoribus Caſtri Monteisfortini, & Iuliano Vici etiam fratri ex latere materno dictorum Benigni, Honorati, & Pellegrini, eorumque&c. infraſcriptam domum, vineas, praedia, poſſeſſiones, & ſtabilia exſiſtentia in Territorio, & Diſtrictu Montisfortini &c. Actum in Caſtro Montisfortini, in Domibus Dominorum, praeſentibus &c. providis Viris Iohanne Scattotio, Tutio Petri Ciarelli, Luca Andreae, & Petro Valanello, omnibus de dicto Caſtro.

Antonius q. Lucae Notarius rogatus, de d. Caſtro &c.

(a) *Iſtoria della Città, e S. Baſilica Cattedrale d'Anagni &c. deſcritta da Aleſſandro de Magiſtris. In Roma 1749. in 4.*

(b) *Cap. VIII. pag. 36.*

*quidquam de eo offendere mihi contigit. Ceterum exſtat ad eum Leonardi Brunii Arretini Epiſtola* (a), *qua eum monet inter cetera, ſe eius commendationem in litteras, quas dederat ad Hiſpaniarum Regem Alphonſum V., iniecisſe, & in quibus* (b) *ſic de Benedicto noſtro, quem aliquando in Hiſpaniis ex hoc degiſſe conſtat, verba facit*: Vale, & Benedictum Ananienſem doctum hominem, & bene litteratum, qui in obſequio tuae Praecellentiae degit, rogo ſuſcipias recommiſſum. *Eiuſdem meminit Leonardus ipſe in Epiſtola altera ad Cardinalem de Columna* (c), *qui Proſper fuiſſe videtur, atque in ea ſic habet*: Reſcribo ad virum doctum, & ſuavem Benedictum de Anania, quae quidem reſcriptio erit etiam reſponſum ad litteras Reverendiſſimae P. V. Si igitur non aderit Benedictus, poterit R. P. V. litteras aperire, & perlegere. *Haec ſunt, quae vobiſcum agere nunc mihi libuit, Socii Spectatiſſimi; Vos vero hoc, quidquid eſt, officii bonas in partes accipite, & Collegam veſtrum, qui de vobis bene mereri conatur, gratia veſtra fovere pergite.*

*Datis Velitris in Aedibus Borgianis a. d. III. Non. Novembris otio Autumnali anni* CIↃIↃCCLXXIII.

FUNE-

(a) *Leonardi Bruni Arretini Epiſtolarum lib. VIII. &c., recenſente Laurentio Mehus, qui lib IX., ac X. in lucem protulit &c. Florentiae* 1741. *in* 8. *Part. II. lib. VII. epiſt. X pag. 99.*

(b) *Loc. cit. epiſt. II. pag. 77., & ſeqq.*

(c) *Loc. citat. lib. X. epiſt. XV. pag. 185.*

# *FUNERARIA*

## DE OBITU

## DIVI ALTI DE COMITE

### PER BENEDICTUM ANAGNINUM.

OMINE Evangeliſta, dixi. Si dignum lectione putabis, aliis quoque copiam facies, videtur, quouſque conditio obveniat, ne copiam facias. Sed dixeris, quare huiuſmodi conditionem feciſti? Ut ſi forte Virum praeſtantiſſimum, & de me optime meritum in morte anteirem, meis monumentis exornetur, & debitus honos ſuarum virtutum a me tribuatur. Vale iterum, felix.

*Benedictus de Anagnia S. P. D. Clariſſimo Iuriſconſulto Domino Evangeliſtae de Valliſmontone ſuo amantiſſimo.*

QUoniam pro tua humanitate mea ſcripta ſemper multifeciſti: propterea cum

cum his Natalitiis Domini noſtri Ieſu Chriſti nil agerem, aliquid facere volui, & tibi Viro praeſtantiſſimo dicare, ut cenſor, & iudex rerum mearum, ſi dignum lectione putabis, aliis quoque copiam facies: ſi minus, aliquo abde modo, & vale.

## FUNERARIA DE OBITU DIVI ALTI DE COMITE PER BENEDICTUM DE ANAGNIA.

ETSI vereor, Evangeliſta amantiſſime, tam praeſtantiſſimum funerarium munus Divi Alti de Comite pridie vita defuncti ab optimis, & egregiis amicis ad me delatum graviter, ornateque, ut par eſt, minime poſſe abſolvere, tamen quia illius viri vitam, mores, & rerum geſtarum praeſtantiam ab ineunte aetate mea, velut ex longa conſuetudine novi; non alienum a meo inſtituto eſſe putavi litteris mandare, ut ceteri de his rebus ſcribentibus facilior notio habeatur, & ipſe vehementer cupio pro dignitate tanti Viri ab omnibus ſuperari. Dabo igitur operam ab initio pauca ex multis

tis exordiens, & ad extremum perducens, noviſſimaque conferens primis, quam brevius potero, rem ipſam obire, morem calculatorum, qui aere breviori ingentes ſummas exprimunt, imitatus, & ea tantum, quae digniora nota veriſſime videbuntur, quoniam ſingula illius Viri praeclariſſima facinora recenſere longum eſſet, & multorum dierum opus. Itaque Altus noſter in lucem editus, quum primum per aetatem verba formare potuit, ad ludum litterarium ſe contulit; Quo exacto, ad ſtudia humanitatis, & hiſtoriarum ſe addidit, quae Principibus, & rerum Dominis vel maxime conveniunt; in quibus quantum excelluerit, nemo ignorat. Aetate etenim provectiori his non contentus ad cognitionem ſacrarum litterarum ire perrexit, exiſtimans non vere Chriſticolam poſſe cenſeri, qui ſit harum cognitione, & notitia exſpers. Profecto eum libero iudicio poſteritas ipſa loqui conceſſerit, quae nec bonos laudare, nec malos deteſtari vetuit; dicam,

quod

quod ſentio, & quod more meo, largiter. Non arroganter dixerim, pleroſque Principes, dum aliquando iuvenis orbem magna ex parte viſere contenderem, ſumma virtute, & litteris praeſtantes noſſe, ſed profecto hoc praeſtantiorem, de Dominis, & Principibus loquor, vidi neminem. Verum cum pridie Signiae Virum integerrimum offendiſſem, interrogaſſemque, ſi litteris ſacris aliquando vacaret, & Bibliae, Epiſtoliſque Hieronymi maxime, ſubridens ait: Item Bibliam, & Epiſtolas Hieronymi memoriter ad verbum iamdiu novi. Quodquod mirabilius dictu eſt, cum iam octogeſimum, & ultra annum agentem ſenium omnem memoriam penitus excutere debuiſſet. Rurſus tabellas hinc inde allatas ſine cunctatione, reiectis ocularibus, & quoſcumque libros contrectatione manuum oblitteratos, vel aliter interlitos lectitat, ut non legere, ſed reminiſci omnia videatur. O incredibilem, & admirabilem hominis memoriam ſempiternam, quae nec varie-

varietate rerum confundi, quae nec multitudine obrui poterat, ut nemo in rebus magnis ſublimius, vel perfectius reminiſci potuerit! Fuit profecto Altus noſter in terris, veluti quoddam caeleſte oraculum, & inſigne vitae mortalium exemplar, traditus nobis. Multae ſane, eximiaeque fuerunt Viri praeſtantiſſimi animi dotes, ſed inter alia ſumma ingenii celebritas, & memoria maximarum rerum pene divina, ut nec Lucius Lucullus, aut Hortenſius in hoc genere eum excelluerint. Accedit, quod Vir ſapientiſſimus quoſcumque ad ipſum divertentes ſua hoſpitalitate, & liberalitate condonabat, ut nec Alexander ille Macedonum, vel quivis alius in hoc liberalitatis genere anteiret. Magna inſuper conſuetudine, & omni officio humanitatis undique commigrantes Vir optimus obſervabat, ut non minus quam Lyſander Antilochum, aut Athenodorum Cato, aut Lucullus Antiochum fuerit proſequutus. Florente etenim aetate, cum primum illa ſtudia evaſiſſet, ut aliquem

fructum ex ſuo ocio quaereret, in militiam profectus eſt, Alexandrum, Caeſarem, Octaviumque ſequutus, qui in utroque laudis genere praeſtiterunt. Perſeveraſſetque diutius in armis, ni eum gubernacula ſuae dominationis revocaſſent; maxime cum magnanimi filii Iohannes (a), & Stephanus (b) apud Venetiam feliciter militarent, ut his foris, illo domi laborantibus, omnis ſalus tuta foret. Enimvero cum Provincia Campaniae aliquando in ſumma difficultate, & anguſtia laboraret, quantus fuit ipſius Alti

(a) *Felix Contelorius in* Genealogia Familiae Comitum Romanorum *p.* 41. *innuit, ex Summario Proceſſus in cauſa Romana Caſtrorum de Comitibus erui, Altum habuiſſe filium legitimum, & naturalem nomine Iohannem, ex quo alii filii plures Hunc Marcus Dionyſius in altera eiuſdem familiae Genealogia apud Venetos caſtris meruiſſe prodit pag.* 142., *tum a Iohanne XXII., ac Pio II. Vicarium Signinae Civitatis una cum Brunone eius fratre, cum onere perſolvendi libram argenti ſingulis annis, conſtitutum aſſerit pag.* 146., *& ſeq: Uxorem duxit Catharinam Farneſiam, ex qua, ut diximus, plures filios ſuſcepit, quos recenſet Dionyſius pag.* 151.

(b) *De Stephano nihil apud Contelorium, & Dionyſium.*

Alti in negociis labor, quae fortitudo in periculis, quae induſtria in agendo, quae celeritas in perficiendo, quod conſilium in providendo, quae eloquentia in dicendo, nemo ignorat. Sic enim in illis fluctibus Provinciae verſatus eſt, ut cum ſaepe alias hoſtes ad ipſum opprimendum coniuraſſent, non vi, & armis magis, quam ſapientia, comitate, & affabilitate facillime repulerit; ut iam vere ſibi uſurpaverit, Principum Romanorum decus, & ornamentum eſſe. Quanti inſuper Pontifex Maximus Martinus (a), Eugenius (b), & ceteri ſui poſteri

 ipſum

(a) *Martinus V. Altum de Comite ad Stipendia Romanae Eccleſiae recepit anno* 1421. *Vid. Contelorium pag.* 21. *, & Dionyſium pag.* 143.

(b) *Eugenius IV. poſt Sagacis Epiſcopi Carpentoractenſis obitum donat Alto fratri portionem, quam Eccleſia Carpentoractenſis habere contendebat ex bonis ipſius Sagacis, perſolutis ſcutis mille, anno* 1439. *Vid. Contelorium pag.* 23. *Tum Altus iure litterarum Eugenii IV. anno* 1441. *immiſſus fuit in poſſeſſionem bonorum hereditariorum Ildebrandini patris poſt litem, quae inter ipſum, & Sagacem, ac Gratum ipſius fratres exſtiterat, quamque etiam pro Alto definiverat Iohannes SS. Nerei, & Achillei Card. Tarenti-*

ipſum fecerint, tota Romana Curia teſtis eſt. Talis enim fuit, dum in humanis agebat Vir praeſtantiſſimus, ut certe ex uno utero ipſe, & Cato natus eſſe videretur, ut cuiuſdam magni Viri verbis utar; huiuſmodique ex eo liberos exſtare, qui in omni paterna gloria, velut in peculiari quadam hereditate parentare videantur. In primis magnanimum, quem nuncupavi, Iohannem in litteris eruditiſſimum, & in armis diu, lateque cognitum, qui, ſicut innumeris rebus feliciter geſtis, ſemper clariſſimus fuit, ſic ſane permultis probe, & ſapienter dictis inſignis eſt ab omnibus habitus. Teſtis eſt ipſa Venetia diuturnitate libertatis, & opportunitate ſitus quadam mirabili, & copia omnium rerum in hominum uſum abundans, quae ipſum in bellis geren-

*rentinus Legatus in Regno Siciliae. Vid. Contelorium pag.21., & Dionyſium pag.143. Praeceperat tamen idem Pontifex Alto, & Grato anno 1438., ut reſtituerent Caſtrum Acuti pertinens ad Eccleſiam Anagninam Iohanni tit. S.Laurentii Cardinali. Vid. Contelorium pag. 23., & Dionyſium pag.145.*

gerendis plures annos tenuit, ubi ſic ſe geſſit, ſic eſt habitus, ut palmarium, pro ſua ſingulari in illam Rempublicam virtute, iudicio omnium ſit conſecutus. Et Ferdinandus Siciliae Rex nullo modo ipſum regnum ſibi vendicare poſſe arbitrabatur, niſi & ipſum habuiſſet, & collocaſſet in primis, cuius laudes cum notae ſint, malo ſilentio praeterire, quam nimius in dicendo cenſeri. Stephanus enim eo tempore admodum iuvenis ab ipſo Iohanne proximus ſpecimen ſummae laudis praeſeferebat, & multa laude digna perfecit; ſed ipſum immatura mors e medio in ipſa militia eripuit, cui Veneti ipſi tantum tribuerunt, ut vix illius aetatis cuiquam. Accedit & Franciſcus Epiſcopus Capaccii (a), Iuriſconſultus, qui & litteris, & optimis moribus egregie praeditus omnem paternam, & avitam gloriam magnifice imitatur, quem,



(a) *De Franciſco Epiſcopo Caputaquenſi, ſive Capaccii in Lucania nihil apud Contelorium, & Dionyſium. Conſule Ughellium in* Italia Sacra *num.* 23. *Tom. VII. pag.* 474.

Deo duce, & fortuna comite, ad ſummum faſtigium evaſurum non ambigo. Illuſtris Bruno Iuriſconſultus (a) hos, quos dixi, ſummo ſtudio aemulatur, qui, ut a pleriſque accepi, in rebus magni conſilii, ut eſt videre, plurimum valet, & laudatur eximie. Sequuntur & hos pleraeque nobiles Sorores primariis Romanae Provinciae Principibus in matrimonium collocatae, ut ſane Altus ipſe Metelli gloriam vendicare poſſit. Quare, Dive Alte, ut vere arbitror, in Concilium Deorum relatus mirum in modum gloriari potes tot egregios liberos huic noſtrae poſteritati reliquiſſe. Struetur enim tibi ara praeclariſſimarum virtutum tuarum in memoriam ſempiternam. Numquam

(a) *Ex laudato ſuperius Summario Proceſſus in cauſſa Romana Caſtrorum de Comitibus, quod recenſetur a Contelorio pag.* 41., *deprehenditur, Altum noſtrum filium quoque habuiſſe, cui nomen Bruno. Vid. ſuperius adnot.* (a) *ad pag.* 114., *ex qua patet Brunonem fuiſſe Vicarium Signinae Civitatis una cum Iohanne eius fratre, largiente id Iohanne XXII., & Pio II. Uxorem habuit feminam ex Urſinia gente, ex qua plures filios progenuit, quos memorat Dionyſius pag.* 153.

quam enim ſilebitur tua admirabilis, & pene divina cunctis in rebus ſapientia, qui in tam ampliſſimae dignitatis gradum per omnes honores in ſublime ſine aliqua offenſione vitae es evectus. Ite igitur, pueri, puellaeque, linguis, animiſque faventes, ſerta ipſis delubris imponite. Iam ſequar, thuraque Iovi ipſe dabo, & omnes violae iactabo colores, Deos, Deaſque precatus, quo Divum Altum veſtrum in Concilium benigne admittatis.

THOMAE PHAEDRI INGHIRAMI
VOLATERRANI

# IN LAUDEM FERDINANDI HISPANIARUM REGIS CATHOLICI

OB BUGIAE REGNUM IN AFRICA CAPTUM

# *ORATIO*

# DICTA IULIO II. PONT. MAX

Et ex Cod. Ms. ſaeculi xvi. Bibliothecae
Cl. Praeſulis Marii Guarnaccii

*NUNC PRIMUM PROLATA*

A D. PETRO ALOYSIO GALLETTIO ROMANO
ABBATE FONTIS VIVI
CONGREGATIONIS CASINENSIS.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO . PRINCIPI
FRANCISCO . XAVERIO . DE . ZELADA
AVITA . PATRICIAQ. ORIGINE
MVRCIENSI
ROMAE . EGREGIIS . PARENTIBVS . ORTO
VIRO
A . PVERITIA . ADMIRABILIS . INGENII
IN . ARDVIS . SOLERTISSIMO
AD . MAGNA . ET . DIFFICILLIMA . NEGOTIA
A . SVMMIS . PONTIFICIBVS
ADHIBITO
CVIVS . VIRTVS . ET . OMNIS . VITA
PRO . SANCTA . ROMANA . ECCLESIA
SEMPER . IN . ACTIONE . FVIT
QVIQVE
VETERVM . CVIVSQ. GENERIS . MONVMENTORVM
AESTIMATOR . ERVDITISSIMVS
EXQVISITA . BIBLIOTHECA . INSTRVCTA
INSIGNI . CIMELIARCHIO . ANTIQVIS . OPERIBVS
NVMMIS . GEMMISQ. RARISSIMIS
ORNATO . AVCTO
STVDIOSORVM
QVOS
SIBI . VOLVIT . SEMPER . HABERE . FAMILIARES
PVBLICO . BONO . PATERE . DECREVIT

A . SSMO . D. N. CLEMENTE . XIIII. P. O. M

OB . SPECTATAM . SACRAR. LITTERAR. COGNITIONEM
VTRIVSQ. IVRIS . PERITIAM
TOT . TANTAQ. MVNERA

INCOR-

INCORRVPTE . ADMINISTRATA
SACRO . PLAVDENTE . SENATV
AVLA . LAETANTE . ROMANA
HISPANIARVM . GESTIENTIBVS . REGNIS
IN . AMPLISS. CARDINALIVM . ORDINEM
ADSCITVS
IN . DIES . ET . FORIS . ET . DOMI
INLVSTREM . PRO . SEDE . APOSTOLICA
NAVANDO . OPERAM
HVMANITATE . FIDE . INTEGRITATE
ANIMIQVE . MAGNITVDINE
TANTI . PONTIFICIS . IVDICIVM
COMPROBAT
MAIORQVE . ASSVRGIT
PETRVS . ALOYSIVS . GALLETTI . ROM
ORD. S. BENEDICTI . CONG. CASIN
ABBAS . S. MARIAE . DE . FONTE . VIVO
THOMAE . PHAEDRI . INGHIRAMII
VOLATERRANI
LATERANENSIS
AC . DEIN . VATICANAE . BASILICAE . CANONICI
OPVSCVLVM
EX . COD. MS. MARII GVARNACCII
PRAESVLIS . CLARISS
IN . LVCEM . NVNC . PRIMVM . PROLATVM
CARDINALI
MVSARVM . PATRONO
D. D. D

EDITO-

# EDITORIS PRAEFATIO.

*SI ullum umquam Principem de Chriſti Fide propagata optime meritum Eccleſia Romana habuit, is certe fuit Ferdinandus Iohannis Aragonum Regis filius, poſtea Hiſpaniarum, Africae, totiuſque Siciliae, ac novi Orbis Rex, cognomento Catholicus, qui omni conatu, ſtudio, & diligentia, nullis laboribus, nullis impenſis, nulliſque parcendo periculis, etiam proprium ſanguinem effundendo Granatenſe regnum expugnavit, Americae, Africaeque populos ad Chriſtum adduxit, barbaros contudit, Bugiae regnum, atque Oranum ſubegit, ſacrae cenſurae conſtituit ubique tribunalia, tantoque religionis adſerendae ſtudio aeſtuavit, ut ingentibus adeo cumulis auri annui, quod a Iudaeis exigebat, privari maluerit, quam perfidam nationem in ſuis regnis, quae impietate foedabant, retinere. Bis in hac Romana Urbe ſolemnes gratiae a Pontifice, & Cardinalibus omnipotenti Deo actae ſunt pro partis a Ferdinando de infidelibus victoriis. Innocentius ſiquidem VIII. Dominica prima Ianuarii anni MCCCCXC. in Eccleſia S. Mariae de Populo grates de Mauris inclinante ſuperiore anno perdomitis perſolvit, habitaque etiam eſt coram eodem, ac Patribus ſacri Senatus Oratio panegyrica, quae typis cuſa eſt, ex qua Raynaldius nonnulla ad rem ſuam excerpſit, & in annalibus iterum protulit. Perlato ad Urbem poſt annos fere decem nuncio de expugnata a Ferdinando Bu-*

*Bugia, olim Thabraca in Numidiae littore ſita, non procul a Mauritaniae Caeſarienſis finibus, Barbarorum regia ſede olim pugnaci, ac feroci, Iulius II. ob tantam a Ferdinando ipſo non ſine immortali laude relatam victoriam, qua mirum in modum Chriſtianum Imperium amplificatum eſt, gratias Divino Numini agendas decrevit eo ſolemni ritu, quem Paris de Graſſis Caeremoniarum Praefectus ita deſcribit*: In die S. Petri in Cathedra, de mandato Papae fuit habita ſolemnis actio gratiarum ad Deum pro victoria habita per Catholicum Regem Hiſpaniarum contra infideles, & Regem Bugiae, ſive, ut Latini volunt, Buxeae in Africa: & quidem ſolemnitas fuit in omnibus, ſicut in die Omnium Sanctorum anno MDV., ut ſupra ſcripſi illa die; ſed in hoc plus fecimus, quia ſermonem habuit Reverendus Pater Dominus Thomas de Vulterris cognomento Fedra, luculentiſſimum, & elegantiſſimum poſt Miſſam: Miſſam autem cantavit in Baſilica apud Altare S. Petri Cardinalis Arborenſis (a) de feſto Cathedrae cum tribus orationibus, videlicet de S. Petro, & ſecunda de S. Paullo, & tertia contra Paganos, cum Praefatione de Apoſtolis. In fine Miſſae data eſt

(a) *Iacobus Serra Catalanus Archiepiſcopus Arborenſis ab Alexandro VI. renunciatus Cardinalis die XXVIII. Septembris MD., Pontificis in Urbe Vicarius. Obiit Epiſcopus Praeneſtinus anno MDXVII., ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Iacobi Hiſpanorum in Sacello, quod vivens erexerat.*

eſt Benedictio per Papam. Tum oraturus, qui ſupra venit, & abſque petitione Benedictionis petiit Indulgentias, & Papa prima facie voluit dare annorum ſeptem, ut in ordinario, ſed a me intelligens de more in talibus eſſe, quod eſſet Plenaria, dedit Plenariam. *Et infra*: Papa cantavit *Te Deum laudamus*. *De Inghiramio vero conſule, quae ſuperiori Volumine, ubi alteram ipſius Orationem habes, tradidimus.*

# THOMAE PHAEDRI INGHIRAMI VOLATERRANI IN LAUDEM FERDINANDI HISPANIARUM REGIS CATHOLICI OB BUGIAE REGNUM IN AFRICA CAPTUM IULIO II. PONT. MAX. DICTA *ORATIO.*

TSI certum habeo, Orbem Chriſtianum, quacumque rei geſtae fama percrebuit, magna in laetitia, gratulatione, ſupplicationibuſque eſſe, patere delubra, aras ſacrificiis fumare, honore, donis, precibus cumulari, quibuſque aliis multitudo ſolet laetitiam immodicam ſignificare, prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam conſecrari (quid enim Chriſtiano nomini contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad ſalutem, quam Ferdinandi Regis Aragonum virtute, ma-

gnitudine animi, felicitate, nunc primum longo intervallo in poſſeſſione Africae pedem nos ponere, firmiſſimis eam praeſidiis, ac maximis claſſibus munire, gentemque efferam, & multum noſtro nomini infeſtam, ſub noſtrum ius, dicionem, imperiumque ſubigere?) ſed tamen te potiſſimum, Pater Beatiſſime, oportet omnes Chriſtianos tantum exſultatione ſuperare, quantum dignitate, auctoritateque inter illos antecedis. Atque hoc facit multiplex gaudium, cumulatioremque gratiam, quod ceteris de Mahumetano hoſte victoriis abolitum magis dedecus, quam quicquam laudis partum eſt, propterea quod in repulſando magis bello, quam propagando imperio antea occupati eramus. At hic mare tranſiit, tranſmarinos hoſtes quaeſivit, ad eorum urbes, ſedeſque penetravit, magnam ſpem, ingens decus, immortale facinus oſtendit, ut nihil adiici ad gloriae magnitudinem poſſe videatur. Facis itaque, ut te aequum eſt facere, praeclare, ac ſapienter, qui ob exun-

exundantis laetitiae magnitudinem diem feſtum inſtituis, ſupplicationes Ferdinandi Regis nomine decernis, convocatiſque Patribus Ampliſſimis, Deo immortali gratias agis cumulatiſſimas, qui cum bonorum omnium, victoriarum, felicitatum dator, largitorque ſemper fuerit, hac tamen in victoria ita larga manu Ferdinando Regi, quique illius auſpiciis militant, praeſens adfuit, ut non faviſſe, opemve tuliſſe, ſed ipſe rem geſſiſſe, & quaſi in aciem deſcendiſſe iudicetur. Quod ipſum dum tuo iuſſu paucis oſtendo, quaeſo, obteſtorque te, ut me benigne, attenteque audias.

Africam, Pater Beatiſſime, qui Orbem terrarum diligenti indagatione ſunt perſcrutati, tertiam eius partem eſſe voluerunt, non viribus quidem, neque magnitudine ceteris parem, quippe quae magna etiam ex parte deſerta credatur, quantum autem incolitur eximiae fertilitatis homines progenerat, laboribus haud cedentes, mirae pernicitatis, & quos ni ius ferri adimat, pleroſque

roſque omnes ſenectus diſſolvat, ita morbos nec patiuntur, nec ſentiunt. Quae gentes eam initio tenuerint, incertum eſt admodum; quorum prima mentio apud vetuſtarum rerum Scriptores fit, Getuli ſunt, Lybieſque, Perſae, Armeni, Medi, qui de Herculis exercitu ſuperfuerunt, in eam conceſſere, ac per connubia incolis mixti, cum omnem fere regionem longe, lateque ſerpendo in dicionem ſuam redegiſſent, Numidae, Maurique ſunt appellati. Phoenices, deductis coloniis, Carthagineque excitata, eam partem, quae ad orientem Solem ſpectat, occupaverunt, auſique cum Romanis congredi, cum diu ancipiti Marte pugnaverint, propiuſque periculo fuerint, qui vicerunt mari, terraque, tandem victi ſubcubuerunt. Chriſtianam Fidem ſero adceperunt, & licet Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Victorinum, Auguſtinum, bone Deus, quales viros! habuerit, ducentorum, & quatuordecim Pontificum contra Pelagianos Concilium celebraverint, ſemper tamen falſis opinioni-

nionibus iactati sunt, neque umquam universi in Catholica fide consenserunt. Irrumpentibus deinde Vandalis, qui ex Hispania traiecerant, ita omnis vastata, eversaque est, ut Africa in Africa quaereretur. Sed & his per Belisarium adtritis, rursusque sub Romana dicione redacta Provincia, Sarraceni (Arabes hi sunt Scenithae) qui ad delendum nostrum imperium, affligendam fidem, extinguenda omnia iura, atque instituta maiorum, nimia fortunae indulgentia dispersis velis ferebantur, in universam inundarunt; neque solum nulla inde vi expelli potuerunt, sed ab illo tempore supra octingentesimum annum Provinciae dominantur tanta immanitate, saevitiaque, ut illos ipsos vetustos Afros crudelitate vicisse credantur, tanto in Christianos odio, ut Romanorum, Carthaginensiumque inimicitiae nullae prae his fuisse videantur. In quo cum multa essent indigna, tum nihil minus erat ferendum, quam quod mare, quasi obices indignati transmiserunt, atque ita certaverunt,

ut arcem in Europa Granatae regnum, Bethicae partem validiſſimam, in ore, oculiſque noſtris, munitam tot annos ad haec uſque tempora tenuerint.

Non commemorabo hoc loco, quemadmodum Ferdinandus rex incredibili, ac divina quadam mente, atque virtute, tunc cum maxime bello civili Orbis Chriſtianus arderet, nec ullis poſſet ſubſidiis inrigari, non ſperantibus, nec opinantibus, nec cogitantibus quidem nobis, quia fieri poſſe non videbatur, regnum illud validum, munitum, invicto veteranorum genere inclitum, firmatum ceperit, vicerit, expugnaverit; poſſunt enim multis ſaepe occaſionibus diverſorum temporum praedicari. Ad Africam, quae me iamdudum vocat, & quodammodo obſervat orationem meam, contento ſtudio, curſuque veniamus; quam Ferdinandus ipſe inexplebilis virtutis, veraeque laudis ſpe, ac magnitudine animi concipere, hoc volutare animo, hoc palam fremere, inde decus ſibi, inde nomen, inde

inde conſummatam gloriam ſperare. Verum dum, quo *id* ſibi facilius facere liceret, in praemoliendis rebus, reconciliandiſque Regum, gentiumque animis occupatur, incredibile dictu eſt, quamdiu materia gloriae ſuae ſit erepta, quoties expeditionem differre, quoties decretam iam, & pene ſuſceptam relinquere ſit coactus. Excitato praeſertim bello illo Parthenopeo duro, atroci, difficili, miſeraque illi, & gravi neceſſitate impoſita, ut armis, & caede craſſari cogeretur contra eos, quos cum communi iure, tum affinitatis vinculo coniunctos haberet, quibus tamen, cum victor eſſet, pacem non abnuit, ut ſcirent omnes, ſe & invitum cum eiuſmodi hoſte bella ſuſcipere, & percupidum finire. Amiſſa mox coniuge (a) fortiſſima, feliciſſima, ſanctiſſima, atque omnium conſiliorum, laborum, expeditionum non modo conſcia,



(a) *Eliſabeth Caſtellae Regina, quae e vita deceſſit ad VI. Kal. Decembris anno MDIIII. Mulier in tuenda, augendaque re Chriſtiana nulli ſecunda.*

ſed & participe, comite, adiutrice, quo caſu, veluti ſolet terra ventis, aut aquis ſubterimmiſſis intervulſa ſui ſoliditate nutare, ita cuncta Hiſpania, ſubducta repente, qua ſuſtentabatur, dextera illius, tota contremuit, ac pene conſedit. Sed & hac quoque ſtabilita, ut pacis, libertatiſque bonis perfrueretur, ac egregie ſtatu ſuo gauderet, ſatis confiſus conſenſu Hiſpaniae, fide ſociorum Regum, ſuo praeſidio omnibus iam inſtructis, adportatiſque, & re iam ultra cunctationem non patiente, Deo bene iuvante, claſſis in Africam tranſmittitur.

Longum eſſet, nec huius proprium diei recenſere, ut Melilla (a) capta, caementaque ex

(a) *Melillae mentio, Oppiduli nempe muniti in Africa in Gareta Provincia ſub dominio Hiſpanorum ab an.* MCCCCXCVII., *cicatricem, ſi iam fortè obduci coeperat, refricat. Melillae enim, in eiuſque arcis Parochiali Eccleſia conditi ſunt cineres Lucae Gallettii fratris mei unanimis, viri in militaribus rebus egregiae virtutis. Natus eſt Romae anno* MDCCXXVI. *die* IX. *Iulii, & a puero Mathematicis diſciplinis ſtudioſa ſedulitate operam navavit. Anno* MDCCXLIV. *profectus in Hiſpaniam die* XV. *Iulii*

ex Hiſpania, quo oppidum muniretur, invecta, ut magnus portus, magnum momentum affectanti res Africae, occupatus, ut Oran urbs opulentiſſima Sarraceni nominis non operibus, ſed vi expugnata, ut Gomera intercepta; quae omnia in Tingitana Provincia ſita valido ſunt Chriſtianorum praeſidio communita. Eſt in ipſa Mauritania inter Tretum promontorium, & Caeſaream haud longe a ſinu Numidico, ubi Poſſidonius vetuſtiſſimus Graecorum Scriptor

*Iulii inter nobiles Italos a cuſtodia corporis Philippi V. Regis Catholici coopta-tus, anno* MDCCLXI. *die* III. *Septembris ob merita Dux peditum in Neapolitana Legione creatus eſt. Multis deinde longorum itinerum exantlatis laboribus, dum tandem alae ducentorum militum ad Melillae praeſidium praeeſſet, & in maximam ſpem aſſurgeret, immatura morte heu nimium! raptus eſt die* XIV. *Septembris anno* MDCCLXXI., *omnibus aeque properum eius obitum querentibus. Homo fuit Lucas ſtatura iuſta, forma laudata, membris craſſioribus, colore rubicundo, naſo ad aquilinum vergente, fronte lata, oculo vivido, capillo nigro, honeſtis, piiſque moribus, animo conſtanti, candido, modeſto, & qui erga omnes ſe reverentem haberet. Fratri carissimo quietem, & beati luminis claritatem precamini, amici, quotquot eſtis.*

ptor ingentem ſimiarum multitudinem ſe vidiſſe teſtatur, Bugia oppidum, quondam dum illic res Chriſtiana incolumis erat, Sedes Pontificia, nunc Sarracenorum omnium, qui Mauritaniam Caeſarienſem incolunt, emporium, caputque longe ditiſſimum, atque opulentiſſimum armis, viriſque. Reges eadem proſapia ſunt, quae omni fere Africae, Tuneti, Hipponae, Leprique magnae dominatur. Urbs ipſa maritimis, terreſtribuſque fructibus, multitudinis incremento ampla, ingens, amoena, arduo in colle ſita, cui tamen ad meridiem plurimus mons immineat, portum habet ad Orientem, qua parte planities aequa extenditur. Oppidani fortiſſimi, bellicoſiſſimique Sarracenorum omnium pedibus in bellum eunt, equorum apud eos modicus uſus. Hanc Urbem, quia regia eſſet, magnamque ſecum capta dicionem allatura foret, ac propter egregium portum, & aliam opportunitatem maritimam, terreſtremque contra cetera regna percommodam expeditionem praeberet,

Hiſpa-

Hiſpani id unum dignum tanto apparatu conſiliorum, & certaminum, quod ingens, exſudandumque eſſet praemium fore rati, primo quoque tempore improviſam, incautamque univerſo ſimul effuſo terrore opprimere decernunt. Solvitur e Pituſa (a) claſſis, ſecundaque navigatione uſi, de induſtria morati curſum navium, ut ante lucem accederent Buſiam, luce prima ante ipſam urbem inconſpecti conſiſtunt. Ibi haudquaquam ſpei eventus reſpondit. Ventis, qui a terra flabant, quominus rectus in portum curſus teneri potuerit impedientibus, noſtri, quia rem fore haud cum imparatis cernunt, quod unum erat in re inſperata conſilium, anchoras iaciunt, armamenta demunt, inſtruunt ſe, ut ubi venti ponant, ſignumque detur, in terram evadant, ac contra fauces portus, inſtructa in fronte navium acie, conſiſtunt. Magnus apud Oppidanos

(a) *Iohannes Mariana narrat, Kalendis Ianuarii principio anni* MDX. *Hiſpanos ex Ebuſo ſolventes quinque diebus littus Africae tenuiſſe, copias eo die in terram exponere adverſos flatus vetuiſſe.*

danos pavor, & tumultus in re improviſa fuit, conſultius tamen, quam quis facturos crederet, in tam ſubito periculo ad arma conclamant, per tumultum, ac trepidationem raptim tormenta expediunt, portas claudunt, armatos in muris, vigiliaſque, & ſtationes diſponunt. Et quia obſidionem rebantur fore, dum licet, dum tempus eſt, inermem omnem multitudinem Oppido emittunt. Ipſi vero rationem pugnae ſic inſtituunt, ut pars omni genere telorum inſtructa tuendae urbi relinquatur. Rex ipſe cum maiori parte copiarum (erant autem ſupra x. millia peditum, & aliquot equites) collem Urbi imminentem occupet, eo conſilio, ut ſi noſtri expugnationem adorirentur, in ipſo certamine impreſſionem faceret, oppugnationique noſtros intentos a tergo invaderet. Interim vero tormentis per muros diſpoſitis, non terra modo adeuntes aditu arcerent, ſed & navium quoque ſtationem infeſtam hoſti facerent. Nec mora, ingens vis omnis generis telorum

e mu-

e muris volabat: ſagittis, glandibus, iaculis, ſaxis, veluti nimbum creberrimae grandinis ingerebant, unoque tempore tormenta bellica in confertiſſimos milites ducenta excutiunt. O rem miram, & nullam apud poſteros fidem habituram, niſi felix ſucceſſus faviſſet! nemo e tanto militum, claſſiariorumque numero non modo caeſus, ſed ne laeſus quidem, ut ſi quis totidem tritici grana plena manu coniiciat, fieri non poſſit, quin pleraque omnia ſuos ictus ſortiantur. Iam venti poſuerant, iam perculſa ex alto vela in portum claſſem inferebant, iam terram capi poſſe gubernatores exclamabant, cum noſtri, adactis de repente navigiis, ſummotis vi tormentorum ingenti hoſtibus, qui toto praetenti littore ſic de colle deſcenderant, ut facilem receptum haberent, qua cuique proximum eſt, in terram evadunt, cognitoque hoſtium conſilio quadrifariam diviſis copiis (erant autem electiſſimorum militum quatuor millia) urbis oppugnatione omiſſa, inter ſe cohortati

in

in adverſum montem, iniquo ſane loco; omnium immemores difficultatum, contra ipſum Regem, inſtructumque eius exercitum erigunt agmen, vix dum fortiſſimo, praeſentiſſimoque animo ſub iactum venerant telorum, cum hoſtes obſtupefacti tanta audacia, ne telo quidem ullo emiſſo, ingenti clamore, ac terrore terga extemplo dant, praecipitique fuga in oppidum ſeſe omnes effundunt. Inſequuntur iiſdem itineribus noſtri, tantaque celeritas fuit, ut cum intentis omnibus ad fugam nulla armatorum ſtatio, nulla cuſtodia oppoſita eſſet, uno tempore, & per patentem portam feroces victores cum victis irruperint, & muri, turres, propugnacula ſuperata, capta, expugnataque, & arx loco alto, & praecipiti ſita occupata ſit (a), ſimulque coepta res, & patrata, ut ſermo hic prolixior multo ſit, quam

(a) *Gomeſius in libro de rebus geſtis Ximenii Cardinalis lib. IV. ſcribit, ipſis nonis Januarii anni* MDX., *die ob Magorum adorationem religioſiſſimo, Bugiam urbem celeberrimam a Petro Navarro Cruceſignatorum Duce bellica virtute clariſſimo captam fuiſſe.*

quam res illa fuerit. Rex veritus, ne porta maritima navales copiae occurrerent, in medioque ipſe caperetur, porta, quam primum viderat, uſus, cum conglobato praeſidio effuſe fugiens in mediterranea, monteſque proximos ſe recepit. Praedae plus pene, quam ex reliquis antea captis locis egeſtum, ea omnis militi conceſſa. C. Marium ſepties Conſulem, in quo ſpes, atque opes Populi Romani ea tempeſtate ſitae erant, gloriari ſolitum accepimus, quod oppidum Capſam in Numidia uno die, uno impetu, uno curſu cepiſſet. Praeclara ſane laus, & quae vel ſola illum poterat immortalitati conſecrare. Sed tamen ſi rem velimus curioſius inſpicere, Capſenſes conſternati animo de improviſo ſunt oppreſſi. At Bugienſes ſeſe confirmandi, arma ſumendi, in munitionibus conſiſtendi, aciemque contra inſtruendi ſpacium habuerunt. Illorum pars potiſſima in agris reperta, qua Oppidani maxime ſunt perterriti, in dicione hoſtium erat. Hi imbellem omnem multitudinem

able-

ablegaverant. Illorum portas equitatus omnis Romanus, velociſſimique pedites, ne quis exire, introireve poſſet, obſederat. Hi decem armatorum millia pro portis ſtantia habebant. Illi denique, nec quid facerent, nec ubi conſiſterent, nec quid fidi reſpicerent habentes, deditionem fecerunt. Hi fuſi, fugatique internecione ſua aditum hoſti patefecerunt, urbemque omnem ſcelerato ſanguine ſparſo expiarunt. Nec mirum, ſi Marii decora Hiſpanorum virtutibus ſunt inferiora. Non enim humano conſilio res illa perfecta eſt. Non illic tunc ſolae vires agebant Heſperiae. Non Hiſpana robora pugnabant, non inſtructa tantum acies Ibera certabat. Ipſe ille Ieſus Deus Omnipotens, cui bellum contra impias, nefariaſque nationes geritur, ipſe, inquam, Ieſus pugnabat, ipſe impellebat, ipſe fugabat. Quis enim fecit, ne tormenta in tam confertam multitudinem excuſſa nocerent? Ieſus. Quis illis tantam iniecit amentiam, ut trepidi, & poſt terga reſpicientes, & in modum amentium atto-

attoniti, nondum vulnere ullo adverſo corpore excepto, properarent ad Urbem, quam conſulto exceperant, non explicarent aciem, non copias inſtruerent? Ieſus. Denique quis muros illos praealtos, turres, propugnacula pervia fecit, facilemque per illa tranſitum dedit, & ut noſtrorum opera excederent humanarum virium modum, praeſtitit? Ieſus. An aliter ſperandum erat, quin divina illa vis valeret, quam illi omni ſcelerum genere polluerant, ac meritas tandem aliquando poenas exigeret? Dura mihi, medius fidius, videbatur, Pontifex Maxime, vis illa caeleſtis, Numenque divinum, quod ſaepe incredibiles Chriſtianae Reipublicae felicitates, atque opes adtulit, magnas pernicies extinxit, ingentes clades avertit, hos pati tot annos ſuae fidei inludere, inſurgere, inſultare. Etenim dici non poteſt, quantum omni Europae, ſed miſerae praeſertim Italiae damni intulerint hae efferae nationes, quot funerum, quantarum cladium cauſſa fuerint. Recurſat animo incredibilis

illa, & immanis audacia, & indigna felicitas, cum immanes illi homines, atque efferati, incerti, quo furor, velut tempeſtas, eos populantes inferret; correptis navibus a Gaditano uſque in Siculum fretum, Hiſpanias, Gallias populati, in Italiam demum inruperunt, ipſam navalibus victoriis nobilem Genuam ceperunt, omnia luctu, ſanguine, ac terrore compleverunt; ſed tamen ex omnibus terris potiſſima haec Urbs, Sedes Imperii noſtri, Arx populorum, Lumen gentium, Senatus Orbis terrarum, haec, inquam, Urbs praeſidium, & ſpes ultima Chriſtiani nominis furentium excepit impetum belluarum. Haec ſaevitiam illorum innocentium ſanguine ſatiavit: Haec ſacram auri famem ſacrilega praeda explevit. Itaque quod omnis ora Etruſca, quae ad mare vergit, cultoribus deſerta eſt, quod everſas Centumcellas (a) ſpecta-

(a) *Centumcellae urbs ad mare poſita* XXIIII. *millia paſſuum a Roma diſtans non muris vallata, neque ulla parte munita, frequentibus Sarracenorum adgreſſioni-*

ſpectamus, quod Pyrgos (a) veteres deſideramus, quod Inui Caſtrum (b) non agnoſcimus, quod totus ſqualet Romanus ager, haec ſunt immanium monumenta Sarracenorum.



*ſionibus, & direptionibus obnoxia per quadraginta annos iacebat diruta, & incolis deſerta. S. Leo IV., qui obdormivit in Domino XVII. Iulii an.* DCCCLV., *ut incolis per valles, & montes miſere vagantibus conſuleret, novam urbem XII. a Centumcellis milliario aedificavit, quam Leopolim vocari iuſſit. Superiori ſaeculo Urbanus VIII. Centumcellas egregie communivit, & portum, additis operibus, ad tutiorem triremium Pontificiarum ſtationem reſtituit.*

(a) *Caſtrum S. Severae Provinciae Patrimonii in ora maris Tyrrheni quibuſdam Pyrgi Oppidum eſt, at iuxta illud ne veſtigium quidem portus ineſt. Aliis Caſtrum eſt S. Marinellae in eadem Provincia cum portu XXXIII. ab Urbe milliaribus in occaſum diſtans, & in eius excelſa turri legitur* NEOPYRGON, *iuris gentis Barberiniae, forſan extructum ex Pyrgi ruderibus. At Caſtrum novum Purganum verosimilius fuiſſe videtur, ubi etiamnum viſuntur antiqui Pyrgi rudera, & in vicino colle Eccleſia S. Mariae de territorio Purgano habetur.*

(b) *Caſtrum Inui Oppidulum fuit Rutulorum in Latio, in ora littorali maris Tyrrheni. Situm erat inter Antium ad ortum, & Aphrodiſium ad occaſum, teſte Cluverio, & eius meminit Virgilius.*

Sed quid vagor longius? Cur haec Urbs Leonina (a) muris cincta eſt? Cur hoc Templum vetuſto, novicioque opere, ut non una aedificatio adpareat, conſtructum? Illi, inquam, illi his parietibus, his tectis, his columnis, ac poſtibus horrificum quoddam, & nefarium omni imbutum odio bellum intulerunt, coementis, ac teſtis horum tectorum ſe famem ſuam expleturos putaverunt, aram praeſentiſſimae religionis violarunt, foedarunt, demoliti ſunt, ſacraria inflammarunt, exciderunt, profanarunt, antiquum, ſanctum, religioſum Templum omni nefario ſtupro, & ſcelere macularunt. Et quae nulla unquam in barbaria feciſſent, illi in Sanctorum Reliquias, in defunctorum Pontificum ſepulcra, in illas ipſas imagines, quibus omne Tem-

(a) *Civitas Leoniana, a Leone III. incoepta, a Leone IV abſolvitur. Secundo Praeſulatus ſui anno, nempe* DCCCXLVIII. *ſumpſit exordium, & in VI. conſecrationis ſuae anno undique conſummata eſt die* XXVII. *Iunii, pridie ante Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli vigilias.*

Templum condecoratum erat, quaſi illos viventes peterent, exercuerunt. Gaudete vos, o Sanctorum tumuli, & tot paſſim Beatorum iacentes Reliquiae. Exſultate, Pontificum oſſa veneranda, voſque ex hoc veſtro edito monte, Petre, Paulleque, lares, penateſque noſtri, qui huic Urbi, atque huic imperio praeſidetis, hanc animis laetitiam capite, hoc vero gaudio perfruimini, hac ſolida, novaque gloria memoriam veteris flagitii abolete, quod tandem exortus eſt vindex Ferdinandus, qui hanc imperii noſtri maculam delevit, ſceleratiſſimorum impunitatem non eſt paſſus diutius propagari, feras, ac iuſtas poenas, tantoque dignas ſcelere pendere coegit. Gravioraque illos pati perdocuit, quam intulerant, non praedonum, non latrocinantium more, ut illi faciebant, nec ut rapinam, ſpoliumque inſperatae felicitatis dividat, atque diſcerpat; ſed ut incenſionem urbibus, internecionem civibus, vaſtitatem provinciae, interitum imperio pernicioſiſſimo afferat. Neque enim rem ma-

gnam esse duco instructa classe invadere littora, militem exponere, agros vastare, oppida diripere; latronum est iste mos, & piratarum, qui rei plus afferat, quam honoris. Verum in hostilem terram descendere, hostes contrastantes pro patria, penatibus, ac liberis percellere, paratos invadere, urbes vi, operibusque expugnare, praesidiis communire, fines imperii, dicionisque propagare; Haec ego, qui faciat, non modo omni laude dignum, sed divinis honoribus prosequendum existimo. An vero, qui cum paullo ante urgeremur quotidie in ore, oculisque nostris, praeter antiquas iniurias, praedae averterentur, triremes etiam praetoriae interciperentur, insulae, portus, littora, terrae, maria illorum amentiam non caperent, nunc in suas Attegias, tamquam in ergastula compulerit, pedem porta efferre prohibuerit, septem iam portus in Africa importuosissima ceperit, supra septingenta passuum millia in littore occupaverit: provinciam illam iam octin-



gente-

gentéſimum annum noſtris hominibus inacceſſam, inhoſpitalem, implacabilem aperuerit, Chriſtianam religionem profugam illinc diu, & eiectam, fruſtraque a nobis tot annos opem, auxiliumque implorantem non ſolum reduxerit, ſed regnum illi, ſuumque in Afros imperium reſtituerit; Hunc ego non modo Regum omnium maximum, ſed & totius memoriae Principem, Deique noſtri benevolentia, & beneficio noſtra tempeſtate, tamquam unicum feſſis rebus praeſidium datum non exiſtimem? Nimis, fateor, aut duri ſumus huius ſaeculi homines, aut faſtidioſi, aut maligni. Priſca aetas, ſi quis, aut quomodo arandus eſſet ager, aut putanda vineta, aut ſtringendae oleae docuiſſet, nihil laudibus, nihil titulis, nihil honori parcebat. Nos pro tot ſumptis de infeſtiſſimo hoſte poenis, pro hac gloria noſtri nominis amplificata, pro noſtro hoc mare perpetuis his piratis, praedonibuſque liberato, pro tam ampla Provincia noſtro imperio adiuncta, & vindicata, non quae poſ-

ſumus, quaeque ſcimus, ornamenta, decora, trophaeaque congeremus? Navis una propter aurei velleris furtum, & virginis raptum in caelum uſque ſublata ſideribus eſt conſecrata, certatimque tam Graecis, quam Latinis Poetis decantata. Haec claſſis, qua non ſunt convinctae Helleſponti anguſtiae, ut temporarius fieret tranſitus multitudini, ſed ipſa Africa Europae quodam quaſi ponte copulata eſt, ut eamus illuc iam intrepidi, navigemus ſecuri, negociemur tuti, non laudatur, non celebratur, non decantatur. Memini, quondam me puero, cum clariſſima, ac munitiſſima inſula Rhodos ex omni impetu barbarico, & totius belli ore a faucibus erepta, atque ſervata. noſtrorum hominum virtute, aſſiduitate, conſilio ſummis obſidionis periculis liberata eſſet, nullum modum laetitiae, nullum gaudii terminum, nullum gratulationum finem eſſe habitum, multos dies per omnia Oppida ſupplicationibus, ludis, epulis publicis triumphi ſpeciem quamdam exhibitam,

bitam, neque immerito; eſt enim illa inſula ocellus Chriſtianae reipublicae, propugnaculum noſtri imperii, ſpecula, atque arx in mediis hoſtibus erecta. Sed tamen quid habet illa hoſtium propulſatio ſimile huic victoriae? aut cur ſi tantum fieri tunc meminimus, non longe nunc maiora prae laetitia exhibemus? Quid hoc eſſe dicam cauſſae? nam omnia malo alia inveſtigare, quam noſtram aetatem in tanta praeſertim cauſſa ingrati animi accuſare. An ita eſt natura comparatum, ut altius iniuriae, quam merita deſcendant, & ibi maior laetitia ſit, ubi gravior metus praeceſſerit, ac propterea ſegnius irritent animos, quae in hoſtem inferantur, quam quae a nobis pericula propulſent? An verum eſt illud, ut magis turpe eſt, cuique ſua amittere, quam glorioſum aliena acquirere; ſic maiori laetitia geſtimus in victoria, quae noſtra defenderit, quam quae externa everterit? vel potius cum in ſolo Ferdinando omnis ſpes, fiduciaque noſtra repoſita ſit, ut

aut

aut ab hoc uno, aut a nemine praeterea ſperemus poſſe nobis antiquum decus, atque imperium reſtitui? Haec tua victoria, Ferdinande Rex feliciſſime, quemadmodum in quovis altero admirationis, & gloriae haberet plurimum, ſic in te tantum abeſt a perfectione ſummae laudis, ut fundamentum, iniciumque maximorum operum, non res ipſa maxima iudicetur. Quid enim eſt, per Deum immortalem, quod de te iam non animo conceperimus, cum ea, quae hactenus per te geſta ſunt, non modo ſpem, ſed & cogitationem noſtram ſuperaverint? Tu enim Hiſpanias priorum temporum iniuriis efferatas, in ſexcentas partes diviſas, in omne libidinum genus prolapſas ad obſequium reddidiſti, ad bene ſentiendi voluntatem induxiſti, ad rectam vivendi normam exegiſti. Tu exſultantes, relegataſque virtutes quodam quaſi poſtliminio reduxiſti. Tu religionem paullo ante ſuſpectam, accuſatam, & ream purgaſti, liberaſti, omni crimine abſolviſti. Tu Regum primus noſtra

ſtra memoria Mahumetanos, cum antea omnium ore in caelo eſſent, qui illis reſiſtere potuiſſent, influenteſque repreſſiſſent, virtute tua contriviſti, domuiſti, imperio Chriſtianorum parere aſſuefeciſti. Tu ultra terminos rerum, metaſque naturae Occidentis regna extendiſti, & poſt columnas Herculeas, quibus ille terminos Orbis terrarum ſtatuiſſe ſe crediderat, tantum proceſſiſti, quantum ille ſibi poſt terga reliquerat, & ad quas regiones, quaſque gentes Chriſti nomen non penetraverat, tu Chriſtianum imperium protuliſti. Caius Iulius Caeſar maximum ſibi partum decus exiſtimabat, atque hoc in primis ſuis laudibus reponebat, quod primus Romanorum ducum in Britanniam duobus commeatibus transfretaſſet, ac propterea alium ſe terrarum Orbem Romanis peperiſſe gloriari ſolebat. Ille tamen inſulam haud procul ab Hiſpaniae, Galliaeque littoribus ſitam, & non modo cognitam, ſed qualis, quantaque eſſet, litteris celebratam, & crebro mercatorum commeatu exploratam,

tam, Ferdinandus vero noſter ſexcentas Inſulas, partemque continentis, ad quam non modo adiit nemo umquam aditurus, ſed ne eſſe quidem ob nimium rigorem putabatur. Invenit ille, uno, alteroque praelio laceſſitos reliquit; hic multos populos tributarios fecit, multas gentes in dicionem redegit, multas nationes, quo nos utimur vivendi iure, coniunxit. Ille denique illinc Romana ſigna in patriam convertit, Urbemque Romam perculſam, ac proſtratam ſervitute obpreſſit; hic Chriſtianas Provincias, atque hanc praeſertim pulcherrimam Urbem, domicilium Chriſtiani Imperii, communem omnium gentium, nationumque noſtrarum patriam, non modo hac miſeria, turpitudineque liberavit, ſed etiam magnam, ac multo maximam partem utilitatis, dignitatis, imperii reſtituit. Et dubitamus, quin hoc duce in Aſiam, Syriam, Aegyptum, inque omnes ad Orientem verſas nationes, impetus belli ſit navigaturus? ut hic Africanus triumphus, non quies laborum,

borum, finiſque certaminum, ſed inicium, omenque futurarum victoriarum ſit exiſtimandus. Nos vero, Pontificum maxime, haec quieti audimus, haec ocioſi ſpectamus, haec aliud agentes intuemur, neque nos tanti Regis imitatio excitat, hortatio impellit, invitatio permovet? Quin tandem aliquando per Deum immortalem expergiſcimur? Quin Chriſtianum animum, virtutemque capimus? Cur non aut fortitudinem Chriſtiano nomini propriam recuperamus, aut mortem huic dedecori, in quo tot iam annos verſamur, anteponimus? Ceterarum nationum multa ſunt propria, aliarum divitiae, aliarum potentia, vis, dominatus; Chriſtiani generis proprium eſt fortitudo. Hac maiores noſtri Iudaeis, Graecis, Romanis, cum in eos tormentis, igne, ferro ſaeviretur, reſtiterunt. Hac veterum Deorum templa everterunt. Hac ſacrilegum cultum extinxerunt. Hac potentiſſimos Imperatores, remotiſſimas gentes, barbaras etiam nationes in ſuam ditionem traxerunt. Hanc nobis propriam

genti-

gentilitiam hereditatem, quaſi per manus tradiderunt. Nos vero ſomnum illi, deſidiam, inertiamque praeponemus? Romani pro Heduis, qui ſe conſanguineos dicebant, cum paullum tributorum exactione a Germanis premerentur, in Gallias penetrarunt, terras, mariaque miſcuerunt, ne illi ulla iniuria afficerentur. Nos, qui principes omnium hominum eſſe gloriamur, qui Caelo imperium noſtrum terminamus, qui hanc tantam poteſtatem Dei, Dominique noſtri Ieſu Chriſti numine natam, auctam, retentam referimus, patriam noſtram, fontem ſalutis noſtrae, matrem noſtrae libertatis Ieroſolymas ſervire patimur nationibus natis ſervituti. O imperii noſtri calamitatem non ferendam, o dedecus Chriſtiani nominis ſingulare! Quod minus ferendum eſt, quia tantorum hoſtium opprimendorum, Deus immortalis incredibilem nobis poteſtatem, & fortunam oſtendit, ſexcenta ſigna dat, dum noſtra voluntas non deſit, ſuum numen

men non defuturum. Si enim prodigiis, atque portentis futura nobis praedicere consuevit, num potuit apertius denunciare, quam fulminibus, ac motibus terrae muros diruendo, aditus patefaciendo, templa profana evertendo? Quid exspectamus? Cur non duce Deo immortali invitati accedimus? Cur vocati non audimus, cur occasionem oblatam non arripimus? Nimium diu distulimus, nimis iam procrastinati sumus; nulla iam est exspectatio, nulla vel minima temporis dilatio, nisi forte exspectamus, ut aliquis inter illos exsurgat, qui face, ferroque nos excitet. An obliti sumus, cum immanis illa bellua vivebat, quae ni periisset, nos interieramus, quid timuerimus, quid cogitaverimus cum foedissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam meditaremur? Exsurget, credo, si cunctamur, & spero, quoniam per occasiones adduci ad decus, gloriamque non possumus, necessitate ingratis pertrahemur. Tibi quidem, IULI Pont. Max., gra-

gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur, habetur autem, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt: quod totus in hoc negocium incumbis, nihil aliud in ore habes, nunciis, litteris, precibus Chriſtianos Reges excitare, vigilare, adeſſe, providere Reipublicae non deſiſtis. Sed ſi illi aut male ſentiunt, aut aliud agunt, vel parum in ſuſcepta cauſſa permanent, ne paveas, ne terreare, ne deſiſtas. Nihil agit, qui omnia in iniciis parata exſpectat, & compoſita. Ubi res coepta eſt, ſequitur, ut aiunt, fortuna; multos pudor, multos aemulatio, multos gloria, multos felicitas, cum coeptam rem vident, permovet. Alexander Macedo, cum Graecia omnis nutaret, Macedonia ſuſpicione haud vacaret, Scythae finitimi ad res novas ſpectarent, Peloponneſus Perſico auro corrupta diverſa ſentiret, paterque Philippus non modo theſauros nullos, ſed ducenta etiam talenta aeris alieni reliquiſſet, adoleſcens, qui paullo ante ex ephebis exceſſiſſet, cum peditum xxx., equitum quatuor milli-

millibus viaticum in triginta tantum dies habens, Orbis terrarum imperium animo concepit, & ſucceſſerant illi cogitata, niſi victoriarum curſum immatura mors praevertiſſet. Urbanus II. Pont. Max. cum mutuis bellis Chriſtiani fere omnes arderent, & Henricus Romanorum Rex, qui expeditionis auctor eſſe debuerat, nunc Robertum Flandriae Comitem praelio laceſſendo, nunc ceteros deterrendo expeditionem ſolvere non deſiſteret, tantum tamen hortando, monendo, agendoque valuit, ut exercitum in Aſiam miſerit, ſpectatiſſimumque ob receptas Ieroſolymas triumphum duxerit. Tibi vero, ne dubita, aderit idem Deus incipienti. An, obſecro, qui vota tua, quod iuſta, quod bona, quod plena religionis eſſent, hactenus omnia audiverit, huic operi tam ſancto, tam pio, tam neceſſario defuturum ſuſpicaberis? Quapropter ego te, Chriſte Ieſu Deus optime maxime, noſtri auctor, fundatorque imperii, ſupplex quaeſo, obteſtorque, da IULIO Vicario ipſi

tuo Reges in ſuam ſententiam trahere, optimo animo, ſingulari concordia, ſummo amore coniungere; da illis ducibus, atque auctoribus, te bene iuvante, barbaras nationes tuo nomini multum infeſtas colla ſubmittere; da illum diem videre, quo tibi, quemadmodum hodie Ferdinandi Regis virtute, conſilio, felicitate ob captam Africae partem ſupplicationes celebramus, ſic de omni Aſia recepta, liberatiſque Ieroſolymis ingentes tibi, & nullo umquam tempore perituras gratias habeamus. Dixi.

BLO-

# BLOSII PALLADII ROMANI
# *ORATIO*
## DE PRAESTATIONE OBEDIENTIAE RHODIORUM
# LEONI X. PONTIFICI MAXIMO
## ET SENATUI APOSTOLICO DICTA
*QUAM*

EX COD. MS. OTTOBONIANO VATICANO

SAEC. XVI

*NUNC PRIMUM IN LUCEM PROFERT*

STEPHANUS BORGIA
A SECRETIS
SACRAE CONGR. DE PROPAGANDA FIDE.

IOHANNI . BAPTISTAE . REZZONICO

CLEMENTIS . XIII. ALMIFICI . PONTIFICIS

EX . FRATRE . NEPOTI

S. MARIAE . IN . AVENTINO

MAGNO . ORDINIS . IEROSOLYMARI

PRIORI

ET . OB . SVMMOS . MAGISTRATVS

PRAESERTIM . PALATII . APOSTOLICI . PRAEFECTVRAM

IMPIGRE . ADMINISTRATAM

A . SSMO . D. N. CLEMENTE . XIIII. P. O. M

AD . AMPLISSIMVM . CARDINALIVM . ORDINEM

TITVLO . S. NICOLAI . IN . CARCERE . EVECTO

VIRO

INGENII . ACVMINE . VBERTATE . CONSILII

ADMIRABILI

QVI

ECCLESIASTICAE . LIBERTATIS . EGREGIVS . ADSERTOR

MAIORA . STVDET . MERERI . QVAM . ADIPISCI

STEPHANVS . BORGIA

SACRAE . CONGREGATIONIS . PROPAGANDAE . FIDEI

A . SECRETIS

ELOSI . PALLADI

SERMONEM . NVNC . PRIMVM . EDITVM

PRINCIPI . MVSARVM . CVLTORI

D. D. D

# ERUDITO LECTORI

## STEPHANUS BORGIA.

ORATIO, *quam nunc publici iuris facimus, e Codice prodit Ottoboniano* MMCCCCXIII. *celeberrimae Bibliothecae Vaticanae. Eam triplici nomine putamus neque lectu iniucundam, neque minimo in pretio apud aequos rerum aeſtimatores futuram. Primo namque ea ſplendet argumenti dignitate, quam ipſi conciliat, atque affatim praebet inclitus Ordo Militaris Ieroſolymitanus, cuius decora, ac laudes complectitur; deinde auctorem habet Bloſſium, ſive Bloſium Palladium, qui ſtili elegantia, ac nitore inter praecipuos claruit ſaeculi XVI. Scriptores; poſtremo lucem, atque ornamentum ex eo ſumit, quod in publico Conſiſtorio dicta fuerit coram Leone X. P. M., cuius amor ſummus, ac prope ſingularis erga litteras, viroſque litteris cultioribus inſtructos nemini plane eſt ignotus. Pauca ſunt, quae de Palladii vita, eiuſque moribus ad noſtram pervenerunt memoriam, cum eruditi homines, qui ſuis in ſcriptis aliquam ipſius mentionem fecerunt, parce nimis, ac ſtricte eiuſdem tum ſtudia, tum ingenii dotes, & qualitates attigerint. Quaedam tamen ex pluribus venis variè diſtractis, ac ſparſis in unum quaſi rivum collegimus benevolo Lectori offerenda, quem ſperamus ita facilem, atque humanum fore, ut noſtrae ſedulitati faveat, & lucubratiunculam hanc ſubſeci-*

*vis horis partam, ſeu potius effuſam aequi, bonique accipiat.*

*Blaſius igitur Pallaius (hoc enim initio nomen habuit, aſt paullo concinnius, ut moris tunc erat Romanae Academiae, de qua infra, poſtea mutatum) Romae natalia adeptus eſt. Eum tamen conſtat e Sabina originem duxiſſe. Primis adoleſcentiae temporibus adeo fervidam litteris operam dedit, tantoque ſucceſſu oratoriam, & in primis Poeticen excoluit, ut illum extemplo viri omnes eloquentia, vel ſcientia inſignes in ſuum cupide ſinum, atque amicitiam receperint. In his chorum ducit Iacobus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractenſis, qui quantum Bloſii doctrinae, atque ingenio tribueret, in Epiſtola ad Angelum Colocium data an.MDXXIX ſatis ſuperque oſtendit, ac declaravit* (a). *Ibi Praeſul ille ſtudiorum fama, & ſcribendi facultate percelebris ſuos commemorans antiquos Romae ſodales, & vitam lepide cum illis, ac ſuaviter actam, ſic inquit*: Ac mihi recordanti ſpatium praeteriti temporis, & vetera animo repetenti, cum & plures convenire ſoliti eramus una, & erat aetas noſtra ad omnem alacritatem, animique hilaritatem longe aptior: quoties venire in mentem putas eorum coetuum, conviviorumque, quae inter nos crebro habere ſolebamus: cum aut in hortis tuis ſuburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in Circo Maximo, aut in Tiberis ripa ad Herculis, alias

(a) *Par. I. Epiſt. Famil. Sadoleti ep. CVI. p. 311. edit. Rom. MDCCLX. curante erud. viro Vincentio Alexand. Conſtantio.*

alias autem aliis in urbis locis conventus habebantur doctiſſimorum hominum : quorum unumquemque, & propria ipſius virtus, & communis cunctorum praedicatio commendabat. Ubi poſt familiares epulas, non tam cupedia multa conditas, quam multis ſalibus, aut Poemata recitabantur, aut Orationes pronunciabantur, cum maxima omnium noſtrum, qui audiebamus, voluptate : quod & ſummorum ingeniorum in illis laus apparebat, & erant illa tamen, quae proferebantur, plena feſtivitatis, ac venuſtatis. Quo in genere recordor preſſum, & acutum Caſanovam, Capellum latum, & ſonantem, magniloquum Vidam, & cuius proxime ad antiquam laudem carmen accederet : caſtigatum, & prudentem Beroaldum : uberes, & ſuaveis Pierium, Granam, Mathalenum, Bloſium, quoſque complures noſtra perſpexit aetas, partim carmine, partim ſoluta oratione eximios : cuiuſmodi Nigrum Tulliana in dicendo gravitate &c. *Ex hac Epiſtola quid tum egerit Bloſius, quibuſve adhuc uteretur amicis, liquido apparet; unus enim fuit e ſociis Romanae Academiae, quam Angelus Colocius in ſuis hortis miro amore, atque humanitate tunc temporis fovebat* (a). *Quod illam Bloſius ingenii*

(a) *Haec Academia ortum habuit tempore Pauli II. P. M., curante Pomponio Laeto, quo e vivis ſublato an.* MCCCCXCVII., *apud Angelum Colocium manſit, nomenque obtinuit* Romanae Academiae. *Illius ima-*

*genii ſui fructibus, & maxime poeticis illuſtrare contenderit, indicio ſunt verſus, quibus Auguſtini Chiſii*

*imaginem expreſſiſſe videtur, quae Neapoli per Antonium Beccadellium Panormitanum, Antonium Panormitam nuncupatum, inſtituta, mox penes Ioviani Pontani magno cum litterarum plauſu, atque incremento celebrari conſuevit. Nominis mutatio inventum Pomponii fuit, iſque mos viguit inter ſocios utriuſque Academiae Romanae, ac Neapolitanae. Ac primo quidem Academici Pomponiani hanc unam ob cauſſam Paullo II. valde ſuſpecti fuere. Clare id colligitur e Sabellici Epiſtola ad M. Antonium Moroſinum Venetum Senatorem, ac virum doctrina illuſtrem, in qua Sabellicus praeceptoris ſui Pomponii vitam, ac mores deſcribens ita inquit* : Incidit inde (*Pomponius*) in maximum diſcrimen, quod cum Callimacho, Platina, & aliis quibuſdam non vulgari eruditione viris, in Paullum Pont. Max. coniuraſſe putabatur ; eſtque iam peregre profectus ea de cauſſa ſub cuſtodia Romam deportatus : ſed in quaeſtione datum eſt illi noxae, quod ſibi, & permultis adoleſcentibus, qui noſtratium litterarum ſtudia aſſectarentur, nomen immutaſſet. *Platina vero in vita Paulli II. ſic ſcribit* : Trahitur ad urbem Pomponius Venetiis captus, per totam Italiam tamquam alter Iugurtha, ducitur in iudicium Pomponius vir ſimplicis ingenii, neque conſurationis, neque alicuius ſceleris conſcius. Rogatus, cur nomina adoleſcentibus immutaret, ut homo liber erat, quid ad vos, inquit, & Paullum, ſi mihi Forniculi nomen indo? Amore namque vetuſtatis antiquorum praeclara nomina

*Chiſii ſuburbanam tunc domum magnifice extructam, & nobilibus ornatam picturis celebravit. Ea domus*

mina repetebat, quaſi quaedam calcaria, quae noſtram iuventutem, aemulatiorem ad virtutem incitarent. *Paullus etiam Iovius in elogio eiuſdem Pomponii (inter Elogia doctorum Virorum XL.) hac de re ſermonem habet:* Eum mox Paulli II. iniuria percelebrem fecit, quum litteratos quoſdam, & in his Platinam, atque Callimachum, tamquam impios, atque maleficos tormentis excruciaſſet. Nam e Venetiis Romam pertractus ad dicendam cauſſam, perpetua vitae innocentia tutus nihil terreri potuit, ut integro, conſtantique animo indigna fateretur. Veterum enim ingeniorum illuſtria nomina ſibi ipſis indiderant, quum in coetu ſodalium laureati Muſas colerent. Ea nominum novitate Pontifex elegantiae litterarum imperitus, ſuſpicioſuſque vehementer offendebatur, quaſi id eſſet coniurantium teſſera ad obeundum inſigne facinus. *Et Federicus Ubaldinus in Angeli Colocci vita Romae edita an. 1672. pag. 47. de Pomponio haec narrat:* Primus omnium, qui Academiae nomen, pridem ſepultum excitaverit, fuit Pomponius Laetus. Is cum in monte Quirinali praeclaros hortos poſſideret, una cum idoneis aedibus (in quarum fronte inſculpta erat Inſcriptio POMPONI. LAETI. ET. SODALITATIS. ESCVILINALIS.) quas viri docti frequentabant, eidem loco tribuit illud nominis, quo celebris fuit ſeceſſus Platonis &c. Porro huiuſmodi litterati coetus exhilarabantur conviviis, & recitationibus ſcriptionum, quae in dies ab uno-

*mus poſtquam in gentem Farneſiam tranſivit* Villae Farneſianae *nomen accepit, & conſpicua etiam nunc eſt ob illud praeſertim egregium opus Raphaelis Vrbinatis, quo Deorum convivium elegantiſſime pinxit. Bloſii liber titulum hunc praetulit:* Suburbanum Auguſtini Chiſii per Bloſium Palladium, *fuitque Romae impreſſus per Iacobum Mazochium Romanae Academiae Bibliopolam anno* MDXII. *die* XXVII. *Ianuarii. Huic libro, quem primum novimus Palladii operum, complures tum viri docti, quo-*

unoquoque conficiebantur: cum nihil opportunius litteris accidat, quam mutuum commercium. *Vtile igitur eſt habere, quos imitari primum, mox vincere velis*, ait Quintilianus. Sic ingenia magis, magiſque excolebantur, & aemulatione interpoſita quiſque tum ſcribendo, tum recitando reliquis excellere ſtudebat. Nec, extincto Pomponio Laeto, Academia locum alium certum habuit, quo ſe reciperet, quam domicilium Colotii. *Nonnulla hic liceat exempla adſcribere doctorum hominum e Romana, vel Neapolitana Academia, quos novum ſibi nomen adſciviſſe comperimus. Philippus igitur e S. Geminiano* Callimachus *vocatus fuit*; *Iohannes e Ponte Vmbriae oppido* Iovianus Pontanus; *Sannazarius* Actius Sincerus; *Lucas Graſſo* Lucius Craſſus; *Iohannes Eliſeo* Eliſius Calentius; *Iulius Sanſeverino Calaber* Iulius Pomponius Laetus; *Iohannes Franciſcus Betti* Codrus, *Iohannes Petrus Bolzano* Io. Pierius Valerianus; *Petrus Zanchi* Lucius Petreius Zanchius; *Iohannes Pariſio* Ianus Parrhaſius; *Antonius della Paglia* Aonius Paleariu-

Digitized by Google

*quorum Carmina in fronte leguntur, & praeſertim Ioh. Baptiſta Caſalius, Philippus Beroaldus iunior, Fauſtus Capiferrus, Marcus Antonius Caſanova, &c. laudes eximias, plauſuſque dederunt.*

*Praeclarum aliud hic iungimus de Palladio, eiuſque doctrinae praeſtantia documentum deſumptum ex Archivo ſecreto Capitolino* (a). *Scriptum hoc fuit anno* MDXVI., *noſtraſque in manus devenit beneficio eruditiſſimi, & amici viri Abbatis Petri Aloyſii Gallettii Monachi Caſſinenſis, cuius praecellens induſtria*

rius *&c. Hanc nominis invertendi, & ad indolem latinitatis reformandi ſu-* *perſtitioſam levitatem merito irridet Areoſtus in Satyra* VI. *ſic inquiens*:

Il nome, che d' Appoſtolo ti denno,
O d' alcun minor Santo i padri, quando
Criſtian d' acqua, non d' altro ti fenno;
In Coſmico, in Pomponio vai mutando;
Altri Pietro in Pierio, altri Giovanni
In Iano, e in Iovian và riconciando,
Quaſi, che 'l nome i buon giudici inganni;
E che quel meglio t' abbia a far Poeta,
Che non farà lo ſtudio di molt' anni.

*Gretſerus quin etiam I.* Rer. Var. *pag.* 93. *graviter declamat in illos, qui Chriſtianum* Iohannis *nomen in ethnicum* Iani *mutant. Hac de re ſcripſit quoque M. Fridericus Balduinus Hoffmannus in Commentatiuncula Epiſtolica, edita Vitenbergae Saxonum an.* MDCCXXVII., *cui titulus* de mutatione nominis Baptiſmalis Chriſtiano non libera, *quamvis nonnulla hac occaſione adiecerit Eccleſiae Catholicae calumnioſa.*

(a) *Tom.* XLIX. *pag.* 84.

*ſtria in veteribus monumentis eruendis, & ſumma Hiſtoriae cognitio, praeſertim aevi ſequioris, magno apud omnes in pretio eſt, atque honore. Tantos quidem in hoc ſtudio progreſſus fecit, tantumque congeſſit rerum antiquarum theſaurum, ut herculeus hic labor munifico litterarum, artiumque omnium patrono CLEMENTI XIV. P. M. oblatus & meritas ab eo laudes retulerit, & dignum locum in Palatio Vaticano obtinuerit. Sed haec ſatis; en ipſum, de quo ſermo eſt, documentum:*

MARIUS DE PERUSCHIS
FRANCISCUS DE NOVELLIS
HIERONYMUS DE RUFINIS

CAMERAE ALMAE URBIS CONSERVATORES

Nobili Viro Bloſio Palladio Scutifero Apoſtolico, & Archivii Romanae Curiae Scriptori Concivi noſtro ſalutem.

ACcepimus, quod licet tu ex origine, & domicilio Romanus Civis verus, & non fictus ſis, taliſque reputeris, ac aliquando in Reformatorem Gymnaſii Romani publice electus fueris, quod officium nemini, niſi Romano Civi, conceditur, & ab hinc annis ferme XL. tu, tuuſque Genitor Romae habitaveritis; tamen eo forte praetextu, quod maiores tui ex Sabinis oriundi fuere, nonnulli ex noſtris parum animadvertentes, Sabini nominis ignominiam

niam ad nos quoque recidere, tamquam ipſi ex optimatibus ſint, aut Sabinum eſſe pudendum ſit, te Sabinum per contumeliam interdum appellant, ridentibus noſtratibus viris, qui & illos, & te probe norunt. Nos, inquam, provide conſiderantes maiorum tuorum ex Sabinis originem tibi non modo non obeſſe, ſed & prodeſſe debere, quum ex nulla magis gente Civitas noſtra olim aucta fuerit, & a Romulo uno nomine Romani, & Sabini Quirites appellati fuerint, Reges quoque, & Principes Sabinos Romae habuerimus, infinitamque ex eo genere nobilitatem, tum vero tuis innumeris virtutibus permoti, cum & Orator, & Poeta inſignis habearis, gratia polleas, rerum experientia cenſearis, publice, privatimque utilis ſis, aeque Urbi, & Civibus, aeque Curiae, & aulicis carus, omnes officio, fide, benevolentia complectaris, unde Romanum nomen non origine modo, & domicilio, quaeque natura, & lege ſunt, ſed virtute, atque animi dotibus, quae ex cultu quoque ſunt, impleveris. Nobis nos de tali Cive merito gratulantes ad calumniantium ora obſtruenda, motu, & ſcientia noſtris, ac de conſilii noſtri publici ſententia te verum, & non fictum Romanum Civem fuiſſe, & eſſe, ac futurum eſſe, ita quod tu, tuique poſteri omnibus privilegiis, immunitatibus, & honoribus verorum Romanorum Civium gaudere poſſe, & debere cenſeamini, ac gaudeatis, tenore praeſentium atte-

atteſtamur, & declaramus, & quatenus opus ſit concedimus, & indulgemus.

In quorum &c. Datum &c. die XIII. Decembris MDXVI.

Hieronymus de Vallatis Secretarius.

*Hinc diſtincte magis, & clare unuſquiſque intelligit tum Bloſii origo quae fuerit, tum quae ad annum* MDXVI. *geſſerit munera, quantique eum fecerint ſui temporis homines ob eam, quam ſibi peperit, poeſeos famam, atque eloquentiae. Diſerte igitur e Sabina oriundus dicitur; ſed iure, ac merito inter Cives Romanos cenſetur, eo quod revera ipſius pater, agro Sabinorum* (a) *relicto, ab annis qua-*

(a) *Quod Palladius origine Sabinus fuerit, nullus eſt dubitandi locus, cum diſerte id aſſerat Romani Senatus Diploma. Quod autem fuerit ex eo ſignanter Oppido, quod* Collis Vetus *in Sabina dicitur, nulla ſunt vetera documenta, quae liquido id probent. Tantum Ferdinandus Ughellius Tom. I.* Ital. Sacrae *edit. Venet.* MDCCXVII. *col.* 712. *refert, Paullum III. Fulginatis Eccleſiae Inſulas tribuiſſe* BLASIO deinde PALLADIO Sabino e Colle Veteri: *Quibus verbis, ut Ughellius non ſatis recte nomen expoſuit, ita fieri poteſt, ut veram ignoraverit loci originem. Ab Ughellio Cl. Bonamicius* de claris Pontific. Epiſtol. Scriptor. *pag.* 223. *in hoc tantum diſſentit, ut Palladium e* Caſtro Veteri, *quod Oppidum nuſquam eſt in Sabinis, oriundum dicat. Sed neque ipſe, neque eruditus Iob. Franciſcus Lancellottius, qui* Collem Veterem *deſignat in notis ad Carmina Latina, & Ita-*

*quadraginta in urbem migraſſet. Quoad munera, quae geſſit, in propatulo iam eſt, eum non modo Scutiferum Apoſtolicum, & Scriptorem fuiſſe in Archivo Romanae Curiae, ſed locum etiam tenuiſſe aliquando inter ceteros Gymnaſii Romani Reformatores, quod munus, ut communem de ſua doctrina opinionem oſtendit, ſic idipſum confirmant ea verba honorifica, quibus illum Senatus Romanus hoc in Diplomate Oratorem, ac Poetam inſignem appellat. Ac talis quidem Palladius fuit, etſi Vir Clariſſimus, & eruditiſſimus Philippus Bonamicius ab Epiſtolis Latinis CLEMENTIS XIV. in eo Syntagmate, quod typis vulgavit* de claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus (a), *eum cenſeat haud aeque facultate oratoria, quam poetica ingenii ubertate floruiſſe:* Habemus etiam (*en ipſius verba*) Fabium Vigilem Spoletinum, & Bloſium Palladium Sabinum, elegantes auctores ita duntaxat, quum carmina ſcriberent, quae pauca legimus, verum ſuaviſſima, atque optima. Nam ſoluta eorum oratio carminum gloriae, atque elegantiae non reſpondet. *Nobis certe Bloſius in utroque ſtilo excellens videtur,*



*& Italica Angeli Colocii per eum edita Aeſii an.* MDCCLXXII. *pag.* 123. *aliquid proferunt, quo haec aſſertio conſtabilirl poſſit. Bloſius certe quamvis oriundum ſe ſciret e Sabinis, tamen ſe Romanum appellavit in* Corycianis, *de quibus infra agemus, idque ob eas cauſſas, quae in Diplomate habentur Senatus Romani.*

(a) *Pag.* 86. *edit. Rom.* MDCCLXX.

*idque arbitramur evinci posse hac ipsa Oratione, quam edimus, quaeque in tenebris tamdiu delituit nulli hactenus cognita, qui de illo sermonem fecerunt. Hanc Orationem, ut supra innuimus, coram Leone X. recitavit anno* MDXXI. *auctoritate, ac precibus motus Iuliani Rodulphi Equitis Ierosolymitani, & Capuae Prioris, qui Romam tunc venerat tamquam Legatus Philippi Villerii Lileadanii in Magnum Ordinis Hospitalarium, ac supremum Militiae Magistrum recens assumpti. Orationis autem thema praecipuum, & scopus hic fuit, ut idem Legatus sui Principis nomine debitum fidei, ac reverentiae honorem Pontifici redderet, utque illum ad sacros Milites iam summo in discrimine positos omni ope tutandos accenderet. Erat namque Turcarum Tyrannus Insulae Rhodo, ubi ab an.* MCCCX. *Ordo degebat, ac dominabatur, longe quam antea formidabilior, clareque apparebat, eum sibi nihil aptius, aut glorioſius ducere, quam ut ipsam armis, belloque subigeret. Ac Selimus quidem, qui superioribus annis post Caliphas eversos Aegypti regnum cum tota Syria, ac Palaestina occuparat, animum quoque ad Rhodum quam cito expugnandam adiecerat* (a), *sed barbarus Princeps morte praeventus voti sui compos esse non potuit, & atrox procella, quae populo Christiano impendebat, paullisper evanuit. Verum quae Selimus praestare non potuit, eius*

(a) *Vid. Litteras Leonis X. an.* MDXIII *directas Guidoni Magno Magistro, & Conventui Rhodio inter Epistolas a Petro Bembo compositas nomine dicti Pontificis lib. I. epist.* XII. *edit. Venet.* MDLII.

*eius filius, atque ſucceſſor Solimanus paterna ferocia plenus confecit; ſiquidem poſt Albam Graecam, quae regni Hungarici propugnaculum erat, anno* MDXXI. *devictam, innumeras in Rhodum copias tranſvexit, atque urbem terra, marique validiſſima obſidione concluſit. Periclitantem Rhodi fortunam, ſummaſque emergendi difficultates, ſi Turcica vis eo tenderet, atque Inſulam hoſtiliter invaderet, Palladius facunde multum, ac ornate deſcripſit. Sed tanta eo tempore flagrabat inter Chriſtianos Principes animorum diviſio, ut nec Pontificis curae, nec Equitum virtus imperterrita quidquam proficere, aut excidium potuerint iam paratum avertere. Solimanus igitur anno inſequenti* MDXXII. *cruentiſſima victoria potitus Inſulam cepit, & Equites Ieroſolymitanos extorres abire coegit, donec, curante eodem Magiſtro Philippo Villerio Lileadanio, Inſulae Melitae per Carolum V. Caeſarem poſſeſſione anno* MDXXX. *donati, Ordinis ſedem in ea collocarunt, & munitiſſimis arcibus excitatis, eam prope inexpugnabilem Chriſtiani nominis hoſtibus reddiderunt. De celebri hac Rhodi expugnatione multa quidem illius aevi Scriptores retulerunt; ſed nemo melius, atque accuratius, quam doctiſſimus Sebaſtianus Paulius Presbyter Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei in ſuo* Codice Diplomatico *ſacri Militaris Ordinis Ieroſolymitani* (a).

*Redeamus nunc ad Palladium, eiuſque in poeticis ſtudiis praeſtantiam, ac laudem. Aliud huius*



(a) *Tom. II. num.* XLIV., *in Lucca* MDCCXXXVII.

*generis monumentum habemus in Libro* CORYCIANA *inſcripto non aliam ob cauſſam, quam quod in eo pia liberalitas celebretur Ioni Corycii Lucumburgenſis, ut recte adnotat Petrus Antonius Seraſſius* (a) *multiplici eruditione, atque editis Operibus clarus. Extruxerat Romae hic Ianus circa annum* MDXIV. *in Templo S. Auguſtini aram cum Sacello in honorem Chriſti Servatoris, Beatae Virginis, & S. Annae Matris dicato, in eoque picturas longe inclitas addiderat, & imagines e Lunenſi marmore poni curaverat, plurima induſtria, atque artificio elaboratas. Hanc Germani hominis pietatem omnes tunc temporis urbani Poetae certatim carminibus extulerunt Ea carmina collegit* Bloſſius Palladius Romanus, *& ſuis additis Hendecaſyllabis, atque Epigrammatibus opus in tres libros tributum elegantiſſima epiſtola* IANO CORYCIO LVCVMBVRGEN. A LIBELLIS IVST. V. C. *addixit, illudque impreſſit* Romae apud Ludovicum Vicentinum, & Lautitium Peruſinum menſe Iulio MDXXIIII. *Neque hos tantum fuiſſe putandum eſt oratoriae, ac poeticae virtutis proventus, quibus notum ſe Bloſius Orbi litterario fecit; plura enim alia ipſius carmina legi poſſunt in Collectione, quam ſub titulo* Deliciae Poetarum Italorum (b) *typis mandavit Ranuccius Gherius Florentinus, cui debemus praeclaram veterum Inſcriptionum Syllogen, quae ſub* Iani Gruteri *nomine in lucem prodiit.*

Non-

(a) *Tom II delle Lettere del Conte Baldeſſar Caſtiglione pag. 344, in Padova* MDCCLXXI.

(b) *Part. II.*

*Nonnulli etiam Palladii verſus adhuc in Codicibus latent* (a), *& in eo, unde Orationem hanc extraximus, aliqui habentur optimae notae verſus Paulli Iovii in Palladium noſtrum, quorum argumenta hic tantum proferre libet*:

Argumentum Criminis.

Deprehenſus eſt a Iovio Bloſſius Phaſianam ingentem ſolus vorans. Nunc Bloſſium timore adductum non ſponte, aut dapſili animo exhibere convivium; verum trepidantem, conterritum, ac voti reum, inſtante quadrata acie Phalaeciorum.

Ad Convivas.

Convivae, eximii, caterva Vatum,
Menſas commeriti aureas Deorum &c.

Iniuriarum libellus.

Iovius Bloſſio diem dicit, & diras, quod avem Phaſianam ſolus comederit:

Quaenam te mala mens, miſelle Bloſſi,
Immane ad ſcelus impulit? &c.

*Facile ex dictis patet, quare illum M. Antonius Flaminius in ſuis Carminibus* Poetam doctum, cultum,



(a) *Eruditus Lancellottius in libro Carminum Angeli Colocci p.* 122. *affirmat, apud Card. Paſſioneum exſtitiſſe Codicem chartaceum in* 4. *ita inſcriptum*: Paulli Nomentani Sylvicolae Felici Ruerae litteratiſſimae, *in quo nonnulla Carmina Palladii noſtri continebantur, quibus credere par eſt, eum Felicis Roboreae, quae Hieronymo Urſino familiae ſuae Principi nupſit, non minus corporis formam inſignem, quam ſingulares animi, atque ingenii dotes celebraſſe.*

tum, amabiliſſimum *appellaverit* (a); *Franciſcus Floridus Sabinus inter praecipuos Latinae linguae cultores adnumeraverit* (b); *& Ludovicus Areoſtus inter*

(a) *Lib. I. Carmine* LXV. *pag.* 61. *edit. Patavinae* MDCCXLIII. *In aliis Carminibus in eodem libro contentis num.* LVI. LVII. LVIII. LIX. LX. LXI. LXII. LXIII., *&* LXIV. *Flaminius multa eleganter ſcribit de* Turunda, *deque lepore verſuum in eam ipſius Bloſii. Apud antiquos* Turunda *erat maſſa, ſeu bucella, qua farciuntur, ſive ſaginantur altilia. Varro lib.* 3. de Re ruſt. *cap.* 89. *ait*: Gallinas farciunt, turundis hordeaceis. *Verum quidnam fuerit Bloſii* Turunda, *nihil certi elici poteſt ex Carminibus Flaminii*; *ſuſpicor tamen pultis genus fuiſſe ex Indico frumento confectae, quod nunc vulgo* Polenta *appellatur. De* Polenta *videatur elegantiſſimum Bernardini Baldii Urbinatis Italicum Carmen, cui titulus* Celeo, e Orto, *in quo modus conficiendi* Polentam *vivis coloribus deſcribitur. Ceterum alia habentur Carmina Flaminii ad noſtrum Bloſium lib. V. n.* XXXVI., *&* XLII., *ex quibus diſcimus, Bloſium Carmina Catulliano ſtilo per iocum, atque luſum ſcripſiſſe ad Iovium, forſan, ut vicem rependeret eius Carminibus de ave Phaſiana a ſe vorata. Diſcimus quin etiam Bloſium tanta voluptate captum fuiſſe elegantia verſuum Flaminii, ut de iis in lucem edendis Flaminium ipſum enixe rogaverit.*

(b) In Apologia adverſus Latinae linguae calumniatores, *in qua de Bloſio ita ſcribit*: Sed nimis patentem campum ingredior, ſi ſingulos ornate recenſere poſſe confidam. Franciſcum tamen Molſam, M. Ant. Flaminium, BLOSIUM PALLADIUM, Romulum

*inter viros eximios, ac venuſtiora ſui temporis ingenia recenſuerit* (a), *ita canens*:

Dimmi, che al Bembo, al Sadoleto, al dotto
Iovio, al Cavallo, a Bloſio, al Molza, al Vida
Potrò ogni giorno, e al Tebaldeo far motto.

*Amoeniora haec ſtudia, quibus Palladius praecipuam ſibi laudem, & nominis celebritatem comparavit, haud ſine praemio, atque ornamento diutius fuere; etenim Clemens VII. eum, quoad vixit, non modo plurimi fecit, ſed ſuos inter familiares alleCtum munere ſcribendi Pontificias Epiſtolas decoravit. Huius rei teſtem habemus Iacobum Sadoletum in Epiſtola Carpentoracti data v. Idus Mart.* MDXXXIII. (b), *in qua Palladium Pontificis Secretarium appellans, ab eo petit, ut omni ſtudio, atque ope contendat, ne Iohannes Franciſcus Ripa, qui Ius Civile magna cum fama doctrinae, atque integritatis Avenione docebat, Mediolanum transferre ſe debeat. Quanto Sadoletus amore erga Palladium foret, haec ipſa Epiſtola docet in ea praeſertim parte, ubi ſe* fratrem amiciſſimum *ſubſcribit. Ex alia Sadoleti epiſtola* (c) *hoc eodem anno* VIII. *Kal. Decembris ad Bloſium ſcripta, intelligimus eum tunc*



lum Amaſaeum, Alexandrum Manzolum, Sebaſtianum Delium, Achillem Bocchium, P. Curſium, Hieronymum Fundulum, Baſſianum Landum, Laurentium Palicium, Gallos autem Vatablum, Germanumque Brixium non praeteriero.

(a) *Satyr VII.*

(b) *Tom I. Miſcell. Coll. Rom. pag.* 579. *edit. Rom.* MDCCLIV.

(c) *Part II. epiſt.* CXCV. *p.* 191. *edit. Rom.* MDCCLX.

*Maſſiliae in Galliis fuiſſe. Imo ex Blaſio Martinello, & Ioh. Franciſco Firmano* (a) *illud etiam conſtat, ipſum paullo ante Bononiam acceſſiſſe occaſione colloquii, quod inter Pontificem, & Carolum V. Imp. ea in urbe habitum fuit; narrant enim Clementem Bononiae IV. Kal. Februarii an.* MDXXXIII. *Conſiſtorium habuiſſe, & in eo a Franciſco Alvarez Presbytero Luſitano Oratore Davidis Aethiopum Regis litteras excepiſſe, quibus ipſe Rex, ſeu Presbyter Iohannes, uti vulgo putabatur, ſeipſum, & Chriſtianos omnes Imperio ſuo ſubditos Romanae Sedi conciliari petebat; adduntque Bloſium illas coram omnibus legiſſe* (b), *atque reſponſum*

(a) *Part. II. Diar. Caeremonial. de Itineribus Romanor. Pontif. a Sixto IV. ad Bened. XIV. pag.* 166.

(b) *Hae litterae ſcriptae fuerunt an* MDXXIV. *Praeſtat earum titulum recitare ex libro Damiani a Goes Equitis Luſitani de Fide, Religione, moribuſque Aethiopum ad Paulum III. P M. edit Pariſ.* MDXLI. *pag* 45. Ego Rex, cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Atani Tinghil, id eſt. Thus virginis vocor, quod nomen eſt a baptiſmate, nunc vero in ipſo ſuſcepti regni initio aſſumpſi nomen David, dilectus a Deo, columna fidei, cognatus ſtirpis Iuda, filius David, filius Salomonis, filius columnae Syon, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariae, filius Nau per carnem, Imperator magnae, & altae Aethiopiae, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, ubi Nilus oritur, de Damaraa, de Vagemedri, de

*ſium Pontificio nomine recitaſſe. Poſt haec reverſus Pontifex Romam, neque multum ibi moratus Maſſiliam verſus iter arripuit menſe Septembri* MDXXXIII., *ut cum Franciſco I. Galliarum Rege negotia quaedam magni momenti explicaret. Hac etiam vice Pontifex, ut habet Sadoletus in mox citata epiſtola, & Martinellus* (a), *Bloſium in comitatu ſuo habuit, eiuſque opera uſus eſt in Conſiſtorio Maſſiliae celebrato die* XII. *Octobris, ut Epiſcopo Pariſienſi honorifice reſponderet, qui eum, adſtante ipſo Rege Franciſco, regiis verbis convenerat, gratiaſque egerat tum pro mirifica voluntatis oſtenſione erga Regem, tum pro laboribus, & viae in commodis adeo prompte, ac benevole ſuſceptis. Redeamus nunc ad Sadoleti amorem erga Palladium: Uberiora ſigna huiuſce amoris, & mutuae caritatis collucent alia in Epiſtola* (b), *quam Sadoletus idem ad Paullum nepotem, qui Romae tunc erat, direxit v. Kal. Ianuar.* MDXXXV.; *Ibi namque ſic ſcribit*: Tu ſemper de Bloſii Palladii noſtri humanitate, comitate, benevolentia erga nos aliquid ad me ſcribis; tibi autem quid ego reſcribam? niſi illud, quod ſolenne, & fixum eſt, eum a me ſcilicet incredibiliter amari. Quod cum ſumme faciam, non

de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & Dominus uſque ad Nobiam, finem Aegypti. Hae Provinciae omnes in mea poteſtate ſunt &c.

(a) *Part. II. Diar. Caeremonial. pag.* 172.

(b) *Part. II. Epiſt. Famil. epiſt.* CCXXIX. *pag.* 336. *edit. Rom.* MDCCLX.

non tamen tantum mihi videor poſſe facere, quantum illius erga nos officia poſtulant. Vellem ſcripſiſſes ad me, ecquid habeat gratum, quod ego illum in meo Hortenſio intexui (a) : & certe habere debet &c.

*Clementi VII. Paulus III. in Pontificatu ann.* MDXXXIV. *ſucceſſit, qui Palladii virtutem iamdiu perſpectam, atque exploratam habens, & illum benevole in eodem ſcribendi latinas Epiſtolas miniſterio retinuit, & mox die XIV. menſis Novembris an.* MDXL. *ad Fulginatem Epiſcopatum promovit, ut videre eſt apud Ughellium* (b). *Idem tradit, Palladium ſancte, integreque Eccleſiam illam adminiſtraſſe, pluraque de ſua doctrina, prudentia, ac largitate monumenta reliquiſſe, praeſertim erga Fratres Minores Capuccinos, quos e Conventu S. Valentini humili nimis, atque anguſto in alterum S. Ioſephi* de Vignola, *a ſe*

(a) *Intelligit hic Sadoletus librum alterum* de laudibus Philoſophiae, *in quo laudatio ipſius Philoſophiae habetur, ſicut in priori libro, qui* Phaedrus *inſcribitur, vituperatio continetur eiuſdem Philoſophiae. In fine igitur huius libri ſecundi ſic de Bloſio ſcribit*: At ego, inquit Citrarius, habeo ſtatim, queis cum communicem, familiareis hos noſtros, quorum quotidianis coetibus domus tua, Galle, celebrabatur, Camillum Porcium, & Bloſium Palladium : quorum ingeniis, ſpectabilique morum, & ſermonis elegantia ſoliti ſumus omnes apprime delectari : & quamquam uterque utramque, tamen alter eorum oratoriam magis laudem, alter poeticam eſt proſecutus.

(b) *Tom. I. Ital. Sacr. col.* 712.

*a ſe commode magis, atque honeſte praeparatum tranſtulit. Paullo ante haec tempora, ſeu verius poſt initia Pontificatus Paulli III. ſcriptam fuiſſe puto Epiſtolam Hieronymi Nigri Canonici Patavini* (a), *qua Matthaeum Pizamanum iuvenem Veneta nobilitate, & litterarum ſtudio conſpicuum Palladio commendat. Epiſtola hunc titulum praeſefert:* Bloſio Palladio Pontificis Maximi ab Epiſtolis Romam; *ſed anno caret, & diem tantum, ac menſem exhibet, quo illam Hieronymus obſignarat* Patavii pridie Kal. Novembris. *Ex iis autem, quae Niger idem ſubiungit, nempe quod iam Pizamanus iuſſu Pontificis in domum, & contubernium Cardinalis Farneſii receptus fuiſſet, argui videtur poſſe, hunc Cardinalem non alium fuiſſe, quam Alexandrum Paulli III. nepotem, qui primo adoleſcentiae flore ad ſacram purpuram an.* MDXXXIV. *evectus fuit. Sub Epiſtolae finem haec verba leguntur, quae nobis indicant Palladium Romae non ſolum hortum, ſeu villulam habuiſſe, de qua eleganter ſcripſit M. Ant. Flaminius* (b); *verum etiam multum voluptatis ex agriculturae ſtudio capere ſolitum fuiſſe*: Dedi Pizamano munuſculum ad te, Avellanas Vincentinas, quas in Bloſiano iſto tuo inſeri curabis. Hae ſi pervenerint ad frugem, non ingratae erunt roſoribus Savoinis (c). Serendi tempus, modumque minime

(a) *Append. Epiſt. Iac. Sadolet. edit Romanae* MDCCLXVII. *pag.* 45.

(b) *Lib. I. Carmine* LV.

(c) Savoia, *unus ex ſociis Academiae Romanae,*

nime opus eſt, ut te doceam, qui in agricolatione, cultuque hortorum iam cum Catone ipſo certare potes.

*Anno rurſus* MDXLII., *cum Romae Palladius eſſet, Sadoletus ad eum ſcripſit amice poſtulans, ut Bullae expeditionem acceleraret pro Eccleſia Carpentoractenſi, qua ſe abdicaverat in gratiam nepotis ſui Paulli. Aperte id evincunt litterae eiuſdem Sadoleti ad Carolum Gualterutium datae* XIII. *Kal. Aprilis* MDXLII., *in quibus ſic ait* (a): Per la Lettera, che io ſcrivo al Rmo Signor noſtro Polo, ed a Monſignor Bloſio, vedrete, come io ſono riſoluto di ſpogliarmi del tutto dell' amministrazione, e cura di queſto Veſcovato &c. *Simili curarum pondere, quas Paſtorale officium expoſcit, affectus Palladius paucos poſt annos ipſe etiam Fulginatem Eccleſiam reſignavit, ut primo ſuo muneri ſcribendarum Epiſtolarum animo magis tranquillo, ac ſoluto vacaret. Ughellius eum refert hanc feciſſe dimiſſionem Eccleſiae in manibus Paul-*

*nae, de quo Sadoletus in epiſt. ad Hieronymum Nigrum Part. II. ep.* CCXLVIII. *p.*407. Nec quicquam eſt omnium rerum, quod libentius faciam, quam uſurpare crebro memoriam eorum, quos cariſſime ſemper, conſtantiſſimeque dilexi, Aeſini Colotii, Petraſanctae, Thaebaldei, Bloſii noſtri, etiam SAVOIAE mitifici hominis, quem audio magnis de Republica occupationibus impeditum quotidie ſe minus vobis fruendum praebere poſſe.

(a) *Part. III. Epiſt. Familiar. epiſtol.* CCCXCI. *pag.* 304. *edit. Romanae* MDCCLXIV.

*Paulli III. Pontif. VI. Kal. Februarii an.* MDXLVII., *eique ſtatim ſuffectum fuiſſe Iſidorum Clarium* (a). *At niſi Vghellius in hac anni deſignatione erravit, arbitrari oportet, vel Palladium Epiſcopi Fulginatis titulum aliquamdiu retinuiſſe, vel potius Iſidorum Clarium tunc habuiſſe cum futura ſucceſſione Coadiutorem. In Actis enim Conſiſtorialibus a Sfortia Pallavicino adductis* (b) *ſub die X. Kal. Februarii anni* MDXLVIII. *Palladius tamquam Papae Secretarius, & Epiſcopus Fulginas Didaco Mendozzae Caeſaris Oratori indicit, ut in proximo futuro Conſiſtorio ſe ſiſtat reſponſum habiturus proteſtationi per eum factae Caeſareo nomine, ac verbis, quod accidit Kalendis Februarii eiuſdem anni* MDXLVIII., *in quibus idem Bloſius dictae proteſtationi uberrime ſatisfecit. Poſt haec nihil ultra inveninus de Bloſio Palladio, niſi quod vitae multa cum gloria, ſummiſque honoribus actae finem habuit Idibus Auguſti anni* MDL., *ſedente Iulio III. (alii perperam ſcribunt anni* MDLVIII.) *ut aperte ſignificat Hannibal Carus in aliquot litteris nomine Cardinalis Alexandri Farneſii datis Idibus menſis, & anni praedicti* (c). *Condi-*

(a) *Loc. cit.*

(b) *Iſtor del Concilio di Trento lib X. cap. XIII. pag. 149. ediz. Romana* MDCLXIV.

(c) *Tres litterae in Vol. I.* delle Lettere del Commendat. Annibal Caro ſcritte a nome del Card. Aleſſandro Farneſe; in Padova MDCCLXV. *habentur, in quibus Farneſius loquitur de gravi infirmitate, & de ſequuta Bloſii morte, quaeque omnes datae ſunt* di Gradoli alli XV. di Agoſto MDL., *ubi tunc Cardinalis degebat, in*

*Condito teſtamento heredes ſcripſit in rebus ſuis Orphanotrophium Vrbis, & Noſocomium Incurabilium, ut Inſcriptionem legentibus patet, quae cum ipſius protome viſitur in pariete Eccleſiae S. Mariae in Aquiro:* D. O. M

BLOSIO . PALLADIO . SABINO
PRAESVLI . FVLGINAT. CLEMENTIS . VII
PAVLI . III. IVLII . III. PONT. A
SECRETIS . VIRO . IN . OMNI . VITA
PROBATISSIMO . INCVRABILIVM
ORPHANORVMQ. SOCII . HEREDES
POSVERE . M. D. L

*Haec ſunt, erudite Lector, quae tecum de rebus a Palladio praeclare geſtis conferre volui, & noſtris ſtudiis favere perge.*

BLO-

*in Oppido ſcilicet Caſtri Ducatus. In priori p.*261. *bis verbis ſcribit Pontifici*: Pater Sancte. Intendendo, che Monſignor Bloſio ſtà gravemente malato, deſidero prima la vita ſua, come di perſona degniſſima di vivere, benemerita della Sede Apoſtolica, e mio cariſſimo amico. Di poi, quando a Dio piaceſſe di tirarlo a ſe, propongo alla Santità Voſtra in ſuo luoco Meſſer Romolo Amaſeo &c. *In altera Cardinali Maffeo directa pag.*262. *ait*: Ritornando Annibale m' ha detto aver laſciato Monſignor Bloſio in pericolo di morire; il che piaccia a Dio, che non ſia. Ma &c *In poſtrema tandem* a Meſſer Curzio Frangipane, *ita pag.*270. *loquitur de morte iam ſequuta*: Per la morte di Monſignor Bloſio è vacato a Monteruoſolo l' emolumento delle Poſte, e certo terreno, ch'io li conceſſi. Vorrei &c.

# BLOSII PALLADII ROMANI
# *ORATIO*
## IN PRAESTATIONE OBEDIENTIAE RHODIORUM
# LEONI X. PONT. MAX
## ET SENATUI APOSTOLICO
## DICTA.

UM hoc in vetuſto ſit more poſitum, Pater Beatiſſime, ut novi ſemper Principes, qui Chriſtiani ſunt nominis, Apoſtolicam Sedem, quique ei praeſident, Summos Pontifices per Legatos, & Nuncios venerentur, eique obedientiam praeſtent, nunc devotiſſimus S. V., ac S. R. E. filius Fr. Philippus de Villers Lyleadan Rhodiorum novus Princeps, totiuſque Hieroſolymitanae Militiae Magnus Magiſter, eum morem cum S. V. eo exſequitur libentius, quo veriſſime, ac ſine iactantia fateri poteſt, nullum in Orbe Chriſtiano populum, aut militiam ( abſit verbo invidia ) acrius, aut

aut crebrius, quam Rhodios, pro Chriſti fide contra Turcas, & Mahumetanos decertare. Itaque eius Principis proprium eſt Sedem Apoſtolicam per Nuncios venerari, qui per Milites, & ſuum ſanguinem noctu, dieque Sedi Apoſtolicae, ac Religioni Chriſtianae operam impendit; quare ille a Rhodo abſens, atque in Gallia degens creatus, Princepſque, ac Magiſter electus omni huic curae re poſthabita, hunc genere, moribus, religione nobilem, Iulianum Rodulphum Equitem Hieroſolymitanum, Capuaeque Priorem Sanctitati Tuae fidum, & carum, ſuum Oratorem, & Nuncium delegit, ut quod ille maluiſſet praeſens, ac coram facere, pedes S. V. beatiſſimos per hunc oſculetur, venereturque, ac benedictione V. S. accepta in Aſiam, atque Orientem naviget Chriſto militaturus. Atque utinam illi non tam propere agere licuiſſet, & in ſuum Magiſtratum non tam feſtine evocaretur, feciſſet libens, atque ex animi ſui ſententia, ut per Italiam ipſam Romam prius

prius pertenderet, ubi ossa Martyrum, sepulcra Sanctorum, sacrosanctas Basilicas, ipsam Sanctitatem Tuam, atque hoc Augustissimum toto Orbe Collegium inviseret, adoraretque, putaretque se ad Deum ipsum proxime accedere, quum Dei Vicarium, Sanctitatem Tuam in terris coram cerneret, ac veneraretur. Nunc quoniam suorum Equitum Rhodi agentium litteris, & quoque Sanctitati Tuae in custodiam Christiani gregis invigilantis monitis, & adhortationibus propere Rhodum accitur, quod Turcarum Tyranno classem, qua in Syriam naviget, solito maiorem parantem, Rhodumque, & Rhodiae ditionis insulas transiturο, haudquaquam tutum arbitrantur sine suo Principe Rhodios esse, paret monitis, cedit necessitati, atque uno tempore hinc Sanctitatem Tuam per Nuncium veneratur, inde eidem Tuae Sanctitati, ut debet, obtemperat; se, classem, navales socios, ad iter expedit, ac Rhodum mari pertendit, ut eam religionem, quam diu

iuvenis, validuſque annis defendit, non deſerat ſenex, atque eidem Chriſto, cui vixit, moriatur: De cuius ſane noſtri Principis plurimis, maximiſque virtutibus, ſummaque in Gallia nobilitate multa poſſem dicere, niſi Tuae Sanctitati ea nota eſſent, cui nihil eſt ignotum, nive adeo hoc Rhodiorum iudicium facile comprobaret, fortiſſimum, ſapientiſſimum, & pietatis ſtudioſiſſimum eſſe, quem abſentem, & in Gallia ſepoſitum Principem legerint, qui, ut vix per aetatem licebat, Ordinem Ieroſolymitanum ingreſſus quadraginta iam annos Rhodianam militiam, & in ea infinitos labores, ac pericula, ſummoſque magiſtratus, & munia ſuſtinuit, Galliarum Prior, priuſquam per leges liceret, factus eſt, diu Inſulam Rhodum Seneſcalchus (qui ſummus a Principe magiſtratus eſt) cuſtodiit, neque ſub illo, quamquam multa interea, & gravia a Turcis proximis pericula ingruerint, detrimentum, aut damnum ullum acceptum, quod huius prudentiae, ac fortitudini

dini maxima ex parte tribuendum eſt. Acer enim eſt in acie, gravis in Senatu, manu ſtrenuus, conſilio prudens, ſuis carus, hoſtibus formidoloſus, nec ſolum fortis, ac ſagax, ſed felix etiam Imperator. Sultani claſſem ſemel in Cilicia, Turcarum ſaepe in Aegeo, atque Ionio, validam ſane, ac multo numeroſiorem parva ſemper manu, & pauciſſimis navibus devicit, propulit, diſſipavit. Sed haec, & praeterea, quae dici poſſent plurima, is de ſe commemorari minime cupit, humanam gloriam, ut eſt pius, ac vere Chriſtianus, contemnit. Itaque, quod ſolum nos agere voluit, eius nomine Sanctitatem Tuam, ut verum Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, Summum in terris Pontificem, & Principem, omni cordis affectu, humilitateque veneramur, eique ſolitam, ac debitam obedientiam, cum omnimoda ſubiectione praeſtamus, Rhodum, Rhodiorumque omnia, quamquam iam pridem Tuae Sanctitatis ſunt, dedimus, offerimus, ac pro fide Chriſti devovemus. Tum

vero Ordinem Ieroſolymitanum de Religione Chriſtiana optime ſemper meritum, Inſulamque illam hoſtibus Turcis circumſeptam Sanctitati Tuae, ut Chriſtianorum Capiti, atque huic Sacratiſſimo Collegio commendamus. Quod ſane facimus multo maiore animorum, quam verborum affectu. Pulcherrima enim Rhodos, clara, & fortis Rhodos, ſemper libera Rhodos, Europae colonia, ſedes militiae, Chriſti columna, floſculus Urbium, lilium Inſularum, hinc ab Aſia quam proxime, inde ab Africa non longe, hinc etiam ab Europa, hinc mari, hinc terra ab hoſtibus potentiſſimis, numeroſiſſimiſque tot iam ſaecula premitur, ut quotquot Rhodii ſunt, fueruntque, tot ſibi Sampſones, tot Davidas eſſe oportuerit; pugnarunt enim ſinguli, ſi numerus hoſtium perpendatur, contra decem millia. Quid decem millia dico? non mentiar, ſi dixero centum millia. Cogitate univerſam Aſiam, & in ea tot validas Provincias Pontum, Colchidem, Propontidem, Phrygiam, Bythiniam,

niam, Galatiam, Cappadociam, Lyciam, Ciliciam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam, cogitate bonam Europae portionem, quam Turcae poſſident, Miſias, Daciam, Dardanos, Thraciam, Macedoniam, Epyrum, Graeciam, Inſulaſque in his maribus permultas. Iam additis, o lugenda reſpublica! ipſis Aegypto, ac Syria, quot populos, quae exercituum examina, quot millia nedum hominum, ſed Civitatum hae Provinciae effundunt? His omnibus tot, ac tam validis populis, & regionibus, tantula Inſula, ac pauxillula Civitas Rhodos premitur in dies, atque oppugnatur. Procul Italia, procul omnibus Chriſtianorum auxiliis ſepoſita, ac deſerta, quaſi virguncula inter baſiliſcos, & dracones, nullum pacis, nullum induciarum tempus novit. Qui in ea Inſula naſcuntur, hi in bello, atque ad bellum naſcuntur, in armis omnem aetatem exigunt, nec minus caniciem galea premunt, quam adoleſcentiam, ac virilitatem, continue ad bellum armati, atque inſtructi invi-

gilant; Nam Cariae ipſi tam proximi ſunt, ut pene voces ex Caria exaudiantur, Halicarnaſſi vero promontoriis, quaſi laterum obiectu, clauduntur, ut undique hoſtes in fronte, in lateribus, a tergo ſint, periculumque in proximo ſit, longe, ac de procul ſit auxilium. Annus iam octingenteſimus eſt, Pater Beatiſſime, ex quo Turcae de ſuis nivibus, & montibus in Aſiam cum ſaeviſſima procella deſcenderunt, diripuerunt, in ſervitutem habuerunt: quo fit, ut Rhodiorum calamitates, periculaque a Turcis proximis, quae maxima, & acerbiſſima ſemper fuerunt, fuerint etiam quam diutiſſima per hoc omne tempus. Maiores noſtri cum his bellarunt, bellum, quaſi hereditatem poſteris ſuis per manus tradiderunt, quamquam ab hoſte numeroſiſſimo, truci, proximo ſuperfuimus, non noſtri meriti, ſed Dei miſericordiae eſt. Urget ſiquidem hoſtis, tumet, iraſcitur, infrendit, quod in eius oculis, ac tanto circum ſuo imperio parvam Inſulam paullo plus centum m. paſs. in ambitu

bitu continentem a paucis militibus tot iam ſaecula videt defenſam, ac propugnatam, atque quamquam ille interdum plures, ac maximos exercitus compararit, maria claſſibus conſtraverit, omnibus tormentorum, ac telorum generibus, apparatuque omni bellico oppugnaverit, ſtat tamen Rhodos inconcuſſa, victrix tot hoſtium, ſervatrix tot animarum, & quum Ieroſolymae Chriſto cecideriut, Rhodii adhuc nomen, ac militiam ſuam tuentur. Itaque non iam ego huius Inſulae priſcas, & priſcis memoratas laudes repetam, quod triquetra in Siciliae formam, tribus olim, mox quatuor urbibus diſtincta, ac munita fuerit, ut pluribus circa ſe Inſulis imperaverit, ut mari diu dominata ſit, Piratas ſuſtulerit, aurum in ea pluerit, ferrum, & aes prima operata fuerit, amica Romanis, parens Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, & omnis generis ingeniorum; non hic tabulas Protogenis, non aliorum quamplurium ſtatuas, & picturas; non illum ex aere coloſſum LXX. cubitorum, inter Orbis miracula

racula numeratum, cuius ſane tanta moles, ac magnitudo fuit, ut eum confractum noningenti haud minus Cameli avexerint. Haec, & complura eius Inſulae vetera haud magnifaciam: novam, & Chriſtianam Rhodum expendam, nec tam quod Soli olim ſacra, vel per nubilos dies Solem ſemper viderit, quamquam nigris, ac turbidis tot circa ſe regionibus, & Mahumetano errore foedatis, verum Solem Chriſtum agnoverit, coluerit, & a circumſtantibus venenis illaeſa, vitam, quae Chriſtus eſt, ſervaverit. Nam poſteaquam noſtrorum maiorum peccatis, ſegnitieque natale Chriſti ſolum, ac ſepulcrum Urbani Secundi Pont. Max. cura Bolionum praecipue fratrum vi, ac virtute receptum rurſus perdidimus, illam militiam, & reliquias Ieroſolymitani praeſidii ex Syria eiectas, ac diſperſas Rhodus recepit, receptas fovit, florenteſque, ac pollentes terra, marique ad Chriſti gloriam in dies tuetur; ut ſi non omnino Deum noſtris culpis avertimus, ſperandum aliquando ſit, has parvas reli-

reliquias in Chriſti trophaeum, & Mahometi excidium conſurrecturas, quod, te Principe, & optamus fieri, & futurum confidimus; & ſi gloriari oportet in Chriſto, multo interea laudabilior haec Rhodiorum profeſſio, optabiliuſque periculum, quam armis inter ſe confici, ferrum in nos ipſos verti, pati excurſiones piraticas, ludibria hoſtium, caedes, rapinas, tot Chriſtianarum Provinciarum miſerrimam ſervitutem, a noſtris ne pauculam quidem iniuriam inultam ſinere, de gleba interdum, & poſſeſſiuncula decertare. Contra Rhodos, ut & Chriſtianam decet Inſulam, nihil niſi pium cogitat, ferrum contra Chriſtianos ei hebes eſt, bellum ei omne impium eſt, niſi quod contra Turcas, & pro Chriſto ſuſcipitur; qua quidem pietate, & Dei miſericordia promeruit, ut non timeat leones circa ſe rugientes, & ſuper aſpides ambulet, draconeſque conculcet, non intacta ſolum a morſibus, ſed victrix etiam, & triumphatrix. Scilicet Deus pro illa pugnat, quia pure diligit Deum,

Deum, nec timet minas Pharaonis, aut quid faciat ei homo. Hac etiam ſacroſancta Sede non ſolum orante Deum pro ſalute Rhodiorum, ſed auxilia quoque, & claſſem interdum tranſmittente, ceterorumque Chriſtianorum opem advocante, Rhodii facile agnoverunt, ſe ſuam ſalutem, ac victorias omnes Deo, Deique Vicariis Romanis Pontificibus debere referre acceptas. Et quamquam nihil interea malorum fuerit, quod non paſſi ſint, ut ad ultimum fidem Chriſto praeſtarent, ea tamen Sedis Apoſtolicae in eos merita fuerunt, ut cladium eos ſuarum non poeniteat, quin potius ob id iucundiſſima recte, ac pie factorum memoria recreentur. Tu ipſe, Pater Beatiſſime, ut reliquos ante te Pontifices taceam, quid pro Rhodiorum ſalute, utilitate, gloria non egiſti? Primum omnium, vix ad Pontificatum evectus, omnia eis privilegia per omnes ante te Pontifices, Imperatores, Reges, Reſpublicas conceſſa, non confirmaſti ſolum, ſed auxiſti, curam eius Inſulae, ac totius Ieroſolymitanae Militiae

litiae peculiarem ſuſcepiſti, Equites Rhodios antea in ſuis Sacerdotiis diutius morari ſolitos Rhodum frequentes coegiſti. Iam eum, qui ſumma auctoritate apud te, & Principes Chriſtianos eſſet, quique ex Ordine Ieroſolymitano antea fuiſſet, clariſſimum virum, ac Praeſulem fratrem patruelem tuum, patriae ſuae columen, huius Senatus ſplendorem, Rhodiis petentibus, patronum tribuiſti, ut per eum ad te omnia Rhodiorum referrentur, atque a te impetrarentur. Poſtea vero in illis Aſiae, Syriae, atque Aegypti motibus, Sultanoque hinc, inde Turcarum Tyranno validiſſimis inter ſe exercitibus concurrentibus, ac Sultano devicto, Syriaque, & Aegypto in Turcarum poteſtatem redactis, tu tuae Rhodo timens, omnibus curis poſthabitis, claſſem quantam, & quam validam potuiſti, Rhodum miſiſti, neque te aut occultae noſtrorum diſcordiae, aut ſuſpecta multorum ingenia ab ea cura retraxerunt, quin ageres, quod te decebat, & Chriſtianorum caput membris tuis ſuccurreres. Mox vero

vero idem tu, aliud Rhodiis, haud ſcio an minus, beneficium praeſtitiſti, dum Turcarum ſucceſſibus auditis, tuaeque plebi metuens, Chriſtianos Principes inter ſe odiis diffidentes, & in apertum bellum, ut apparebat, erupturos, tu tua auctoritate, ac monitis ad inducias quinquennales compuliſti, atque ad ſanctiſſimam contra Turcas expeditionem litteris, nunciis, precibus etiam invitaſti; quae ſane Principum concordia per te conciliata novit Rhodos, atque Oriens, quantum non modo noſtris metum dempſerit, ſed hoſtibus etiam intulerit; non enim illi tam ſuis viribus, quam noſtris diſcordiis confidebant. Sed neque praeteritis beneficiis contentus, maiora adhuc meditaris: Aſſiduc enim, quod ſcimus, animo volvis, quo pacto, compoſitis Chriſtianorum rebus, ad bellum pium, ſanctum, dignumque & Apoſtolico nomine, tuas, tuorumque vires traducas, & quod ſub Urbano II. incoeptum, ſub Paſchali II. confectum, ſub Clemente III. repetitum, & a reliquis Pontificibus

tificibus ſaepe tentatum, nunquam abſolutum, tu repetas, conficias, atque abſolvas, ut Rhodii, ac Chriſtiani illius Orbis ceteri a caedium, rapinarum, cruciatuum, miſerrimaeque ſervitutis continuo, proximoque metu liberentur. Quare magnitudo beneficiorum nos cogit, ut Sanctitati Tuae gratias agamus, magnitudo periculorum, ut preces obtendamus, potentia, ac ſaevitia hoſtium, ut timeamus, tua prudentia, ac pietas, ut ſperemus. Supplex igitur, atque omni cordis affectu, humilitateque hic legatus nomine ſui Principis, ac totius Ordinis Ieroſolymitani tum agit gratias Sanctitati Tuae de beneficiis eius maximis, quam poteſt maximas, tum eam enixe per Chriſti nomen, ac numen precatur, ut hanc piiſſimam curam curare non deſinat, & quod iamdiu animo concepit, parturiat, expleat, atque ad optatum finem perducat. Sed neque rogandus es, qui ad id proniſſimus es, neque monendus es, qui ſapientiſſimus es, neque confovendus, qui es conſtantiſſimus.

Solum

Solum itaque Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum, Praecurſoremque eius Iohannem Baptiſtam Rhodiorum proprium, ac tutelare numen rogabimus, ſuppliceſque, & proſtrati obſecrabimus, ut Deus ſuam plebem miſeratus, tuam mentem ceteris Chriſtianis Principibus immittat, ut velint iidem plurimum, qui plurimum poſſunt, debentque pro hac cauſſa velle permultum, quo tu, Deo auſpice, omnium Chriſtianorum animos, ſicut a diſcordiis ad inducias traxiſti, ita ab induciis ad pacem, a pace ad ſanctum, piumque bellum traducas, atque hoc tandem videamus, hiſtoriaeque teſtentur, ut quod tam diu concupivimus, Patreſque noſtri ſperaverunt, Leonis X. Pont. Opt. Max. temporibus, atque auſpiciis vincat Leo de Tribu Iuda, Rhodii a perpetuo Turcarum metu liberentur, fiatque, quod promiſit Dominus, tandem unum Ovile, & unus Paſtor.

FRAN-

# FRANCISCI ALIGERI
## DANTIS III. FILII
## *DIALOGUS ALTER*
## DE ANTIQUITATIBUS VALENTINIS

EX COD. MS. MEMBRANACEO SAEC. XVI

*NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS.*

# IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

## *AD SPECTATISSIMUM PRAESULEM*

## PHILIPPUM VALENTIUM

SIGNATURAE IUSTITIAE VOTANTEM

ET CANONICUM BASILICAE VATICANAE

## PRAEFATIO.

*DIALOGUM alterum anecdotum de Antiquitatibus Valentinis, quod Franciſcus Aliger Benedicto Valentio Gentili tuo iampridem inſcripſerat, nunc ego ex Codice Ms., qui Trebiae in tuis avitis Aedibus adſervatur, in lucem prolaturus non alteri, quam tibi inſcribendum, dicandumque intelligo. Cum enim tua ſint omnia, quae nunc a nobis tractantur, eadem ad te idcirco pleniſſimo iure etiam ſpectare, nemo unus inficietur. Autographum ſiquidem in Gentis tuae poteſtate exſtat, apographum tui beneficio ipſe obtinui, atque Aedium tuarum aulam pleraque nunc ornant marmora, quae hoc Opere illuſtrantur, quaeque ego ipſe ab anno uſque CIↃIↃCCLXIX. a te humaniſſimo, laudatiſſimoque exceptus hoſpitio una cum Cl. Praeſule Stephano Borgia tui amiciſſimo oculis meis ſaepe, ac libenter perluſtravi. His ſi addas, me tibi omnino devinctum ob quamplurima iam a multis annis in me conlata pro tua humanitate officia, ac ſtudia plane ſingularia, facile intelliges id ſua ſponte fluere, ut etiam, me tacente, non alio*

 *ſane,*

*ſane, quam in tui ſinum haec ipſa nunc advolet ſcriptiuncula. Non ignoras, VALENTI Praeſul Spectatiſſime, iam ab anno CIↃIↃCCLXVI. editam fuiſſe Epiſtolam meam ad Cl. Virum Iohannem Lamium in ipſius Ephemeridibus Litterariis Florentinis* (a), *at dein in aliis etiam Venetis recuſam fuiſſe* (b), *de Opere ſane rariſſimo, quod* Antiquitates Valentinae *inſcribitur, quod Romae editum iam fuerat anno* MDXXXVII. *per Antonium Bladum Aſculanum, quodque Benedicto Valentio Trebiati Clementis VII. primo, ac dein Paulli III. Romanorum Pontificum Tribuno Aerarii, ſive potius Advocato Fiſci Auctor nuncupaverat. Neque nunc te pigeat rurſus commemorari a me nonnulla, quae ibidem attigi, tum & addi quinetiam alia, quae me tunc praeterierunt. Innuit hoc Opus Vir Cl. Marchio Scipio Maffeius non uno in loco* (c), *qui tamen Antiquitates illas non* Valentinas, *ſed* Veronenſes *appellandas comminiſcitur, utpote qui Libri, quem numquam manibus tractaverat, ignarus facile ſuſpicari poſſe cenſuerit, Aligerum potius patrias antiquitates, quam Valentinas, ut perperam ſibi finxerat, in Hiſpaniis, ad quas numquam proceſſerat, illuſtraſſe: In huiuſmodi errorem quinetiam prolapſus eſt Vir alter aeque Cl. Comes Ioh. M. Mazzuchellius* (d), *qui confi-*

(a) *Novelle Letterarie di Firenze* 1766. *num* 9. *col.* 135., *& ſeqq.*

(b) *Corriere Letterario di Venezia* 1766. *col.* 334.

(c) *Oſſervazioni Letterarie Vol* VI. *pag.* 314., *& Verona illuſtrata; De' Scrittori Veroneſi lib.* II. *col.* 53., *&* 54.

(d) *Scrittori d' Italia Vol.* I. *Part.* I. *pag.* 493.

*confidenter ſane nimis exiſtimat, id ab Amanuenſe peccatum, ut* quaedam antiquae, *quemadmodum prius ab Auctore ſcriptum fuerit, dein* Valentinae *Antiquitates prodierint. Opus hoc tamen contrectaſſe apparet Iohan. Baptiſtam Donium, neque illud quidem Ms., ut cenſuit Mazzuchellius* (a), *ſed typis editum, ut ex Operum impreſſorum, quibus Doniana Inſcriptionum Collectio coaluit, Elencho, quem dedit Cl. Gorius ad calcem eiuſdem iam Florentiae excuſae anno* CIↃIↃCCXXXI., *manifeſtiſſime conſicere licet; quamquam & ipſe ſaepe ad Valentiam, & ad Valentinum perperam provocet. Nonnullas quoque Inſcriptiones vel laudato Aligeri Opere contentas, vel ex eo ſelectas ediderunt, praeter Donium* (b), *Gruterius* (c), *Reineſius* (d), *Fabrettius* (e), *Malvaſia* (f), *Bonada* (g), *Camegieterius* (h),



(a) *Scrittori d' Italia, Vol. I. Par. I. p.* 493 *not.* (4).

(b) *Claſſ. V. num.* 124. *pag.* 193., *& num.* 204. *pag.* 211., *Claſſ. VII. n.* 141. *pag.* 301., *Claſſ. X. num.* 89. *pag.* 374., *& Claſſ. XII. n.* 20. *pag.* 396. *Vid. eiuſdem Appendicem omiſſorum p.* 555. *n.* 6., *qui Veronae deſignat ex Antiq. Valentinis Franciſci Aligeri Inſcriptionem ſacram* DIVAE. VENEREI, *quae tamen in eius Opere deſideratur.*

(c) *Pag.* 991. *n.* 6., *ex Iacobonio apud Valentes in Trebio oppido.*

(d) *Claſſ. XVI. n* 65.

(e) *Cap. I. n.* 170. *p.* 34. *ex Gruterio.*

(f) *Marmora Felſinea, pag.* 361.

(g) *Carmina ex Antiquis Lapidibus Vol. I. Claſſ. II. n.* 13. *pag.* 193. *Vid. Diſſert. III. pag.* 218., *ubi Aligeri meminit.*

(h) *Epiſtola ad Dorvilium col.* 531. *Tom. I. Supplem. ad Nov. Theſ. Inſcript. Murator., Sebaſt. Donati*,

*Donatius* (a), *ac tandem, me suggerente, popularis meus longe eruditissimus Paschalis Amatius* (b), *ut nunc praeteream laudatum Maffeium, qui in* Arte Critica Lapidaria (c) *unam ex his Inscriptionibus inter spurias, aut saltem suspectas amandandam putavit. Tandem Vir inter Antiquarios longe notissimus Rodulphinus Venutius Cortonensis in Opere, quod de Clitumno amne exaravit* (d), *& cui in adnotationibus nonnullae adsutae sunt Iacobi Comitis, Germani fratris tui* τοῦ Μακαρίτου *ad Venutium ipsum epistolae, memorat adservatam in aedibus tuis iacentis Fluminis, forte Clitumni statuam, quam etiam aere caelatam exhibuit* (e), *quamque ab Aligero nostro in* Antiquitatibus Valentinis *descriptam innuit: quemadmodum & superius aliud signum, etsi primaevo destitutum capite, retulerat* (f), *tamquam in iisdem aedibus tuis prostans, quod vel Iovis Clitumni, vel homonymi Fluminis vulgo censetur. In Bibliotheca vero Divi Marci, quae Florentiae a Praedicatoribus Dominicanis obtinetur, exstat Ms. Codex* (g) *continens* Inscriptiones quas-

(a) *Cit Supplem. Tom. I. n. 2 pag. 153.*

(b) *Collectio Pisauren. omnium Poematum To IV. Antholog. Class. III. Epig. CCVI pag. 463., & Clas VI. Epig. XIX. pag. 475.*

(c) *L. III. c IV col. 374. To. I. laudati Supplementi.*

(d) *Osservazioni sopra il Fiume Clitunno, detto in oggi le Vene, situato trà Spoleto, e Fuligno, del suo culto, e antichissimo Tempio, e dello stato suo presente &c. Roma* MDCCLIII.

(e) *Tab III. pag. 37.*

(f) *Tab. II. adnot. 2. pag. 32.*

(g) *Olim Armar. II. num. 142.*

quaſdam antiquas cnm adnotationibus Franciſci Aligeri Dantis Tertii filii, *teſte Mazzuchellio ſupra laudato; quem ſane eumdem cenſeo, ac illum, quem laudat Cl. Antonius Franciſcus Zaccherius* (a), *tamquam chartaceum in 4., & ſaeculo XVI. exaratum, in quo multa eſſe dicit partim collecta, partim deſcripta a Ioh. Bapt. Bracceſchio Ordinis Praedicatorum; tum & Inſcriptiones quaſdam Spoleti, Mevaniae, Ravennae, & Fulgineae repertas; ac tandem Inſcriptiones quaſdam in marmoribus, & urnis ſepulcrorum cum adnotationibus Franciſci Aligeri Dantis III. filii. Alter Codex Ms. Franciſci Aligeri de Veterum Inſcriptionibus adſervabatur a Cl. Viro Marco Foſcarinio Senatore Veneto ampliſſimo, teſte altero erudito Viro Sebaſtiano Donatio Lucenſe in Monito ad Maffeii* Artem Criticam Lapidariam (b), *in cuius nempe Libro III. de Aligeriano hoc Opere, & de ceteris ſimilibus Maffeius, ſi operi fuiſſet impoſita manus, pertractaſſet. Quis fuerit Franciſcus Aliger, docebit Cl. Maffeius, ubi de Scriptoribus Veronenſibus* (c); *ſiquidem ſcribit, Franciſcum Aligerum Dantis III. filium fuiſſe, ac duos habuiſſe fratres ſe ipſo maiores Petrum, & Ludovicum. Veronae in Eccleſia S. Fermi Maioris Franciſcus Sacellum exſtruxit ad laevam Aras maioris, & fratribus Petro, & Ludovico monumentum poſuit, quod Maffeius* (d) *refert, nempe:* Petro Aligero Dantis III.

 filio,

(a) *Iter per Italiam Part. I. cap. II. n. 14. p. 72.*

(b) *Pag. XVI. cit. Tom. I. laudati Supplementi.*

(c) *Cit. Veron. Illuſtr. lib. II col. 53., & 54.*

(d) *Loc. cit.*

filio, Graece, & Latine docto, & Theodorae eius coniugi incomparabili; *Et aliud* : Ludovico Aligero Iuris utriuſque Conſulto, omnibus virtutibus ornatiſſimo, Fratribus amantiſſimis, & ſibi Franciſcus Aliger fieri curavit. *Franciſcus tamen doctior inter fratres ex Latino in Italicum idioma Vitruvium vertit, & illuſtravit, teſte Nugarola in Epiſtola ad Barbarum. Gentis Aligerae poſtremus fuit Franciſcus, ut proinde Comites Saregii (quoniam Iunipera Petri Aligeri, quem ſupra laudavimus, filia Marco Antonio Saregio nupſerat) hereditatem, & nomen Aligerorum obtinuerint, atque Aedes quinctiam Saregiorum pluribus in locis ſtemma Aligerorum praeſeferant, quod ala auri in fundo caeruleo exprimitur. Cum vero Franciſcus noſter amicitia coniunctus eſſet, dum Romae degeret, Benedicto Valentio Viro egregio, & Veterum Monumentorum Conſervatori eximio, Monumenta ipſa, quae pro ornamento Aedium ſuarum Trebiae comparaverat, commentariis, & dialogis, inſtituto inter ſe, & Xanthum Pontium ſermone, illuſtrare ſtudebat. Dialogus primus tamen, quem habes in* Antiquitatum Valentinarum *Libro* (a) *olim iam edito, interlocutores habet Benedictum Valentium, Franciſcum Aligerum, & Xanthum Pontium, ut proinde alter hic, qui adhuc anecdotus fuerat, edendus iure videatur. Nunc reſtat, ut de Benedicto Valentio Gentis tuae antiquiſſimae, & nobiliſſimae ornamento aliqua attingamus. Fuit is Clementi VII., & Paullo III. Romanis Pontificibus carus*

(a) *Pag.* 84.

carus quammaxime, qui ab ipſis Advocati Fiſci, ſive, ut Aligero appellare placet, Tribuni Aerarii munus obtinuerit, ipſaſque lauto hoſpitio Trebiae excipere, ut ex Diariis Caeremonialibus patet, non dubitaverit. Filios habuit longe praeſtantiſſimos Montem Valentium Romandiolae noſtrae Praeſidem (a), & Praefectum Urbis Romae, quem Gubernatorem vocant, & Romulum Converſani Epiſcopum, qui unus ex Tridentini Concilii Patribus eſſe promeruit. Dies me deficeret, Praeſul humaniſſime, ſi veteres Gentiles tuos, quos & tot, & tantos cenſes, & quorum magnifica Mauſolea Trebiae in Templo Deiparae Lacrimarum ſacro Gentis tuae claritatem, & amplitudinem in aevum teſtatura videntur, commemorare eſſet animus; cum praeſertim tanta Iuris prudentia, tanta ampliſſimi officii in Romana Aula dignitate, tanta morum, & vitae integritate, tantaque in omnes humanitate, ac liberalitate ipſe excellas, ut veterum imagines praeteriens ex tuis dumtaxat virtutibus & laudem, & decus quammaximum petere tute poſſis. Haec ſunt, VALENTI Spectatiſſime, quae mihi ex agro, & ex itinere recenti ad te etiam Romam ex Narnienſi ruſticatione reducem, quaſi ſalutationem, gratulationemque aliquam mittere placuit. Feſtinanter ſcripta, tum & inconcinna haec ne, quaeſo, crimineris; ſaepe enim uſuvenit, ut in ſummae temporis anguſtia mea me & exarare, & in publicum



(a) *Vide, quae de eo honorificentiſſima protulit Vir ſua aetate clariſſimus* Hieronymus Rubeus Hiſtor. Ravennat. *lib.* X., & XI.

*blicum ſubmittere cogar. Erunt haec tamen teſtimonium grati in te animi mei, tum & ſingularis obſervantiae monumentum, quod quidem, aut quodcumque aliud numquam vel tuis meritis, vel debito meo reſpondens futurum confidam. Ceterum tu haec bono animo excipias, meque inter tuos, quos tibi devinctiores habeas, recenſeas velim. Vale.*

*Datis Romae ex Aedibus meis Poſtridie Nonas Novembris anni* CIↃIↃCCLXXIII.

MAGNI-

MAGNIFICO ATQUE EXCELLENTI DOMINO SUO
OBSERVANDISSIMO

D. BENEDICTO VALENTI
PONTIFICII AERARII TRIBUNO DIGNISSIMO
FRANCISCUS ALIGER
DANTIS TERTII FILIUS
S. D

UM in tota rerum antiquarum inveſtigatione multa inveniuntur, quae nequaquam ſatis adhuc comperta ſint, tum perdifficilis, Benedicte ampliſſime, & perobſcura imaginum eſt agnitio, de qua quum priori libello ſatis diſputatum videatur, actum non agam; Tantum dicam nihil eſſe mea ſententia eorum temeritate ferocius, aut quod vecordiae propius accedat, quam quod non ſatis explorate perceptum ſit, primo aſſerere, deinde ſine ulla dubitatione defendere: unde Academicis quondam ſumma dabatur laus inter Philoſophos, qui aſſenſionem a rebus perſpectis, & cognitis etiam

etiam cohiberent, neque vellent quidpiam pro certo affirmare, tantum in omnibus haesitarent. Nulla igitur laus noſtra eſſe poteſt, imo erubeſcere omnino debemus, cum marmora ne priſcis quidem fortaſſe cognita, ſatis audacter certo nomine donamus. Nam tametſi de variis antiquarum figurarum rationibus, locis, & ſedibus, ornatuque earumdem multa ab Auctoribus paſſim dicantur, quibus facile fieri coniectura poſſit; difficillimum tamen eſt de aliorum ſenſu praeſertim a nobis tam remoto iudicāre: nec is ſum, qui putem nihil omnino, quod in iis ſit verum, coniici poſſe, ſed audacia peccare nos praedico, qui diſiectum, & rude quodammodo marmor, cum naribus, tum ceteris membris comminutum caput velimus, non dico, diiudicare, ſed ne ſuſpicari quidem, cuiuſnam fuerit. Inde nos verecunde mehercule tibi obtemperantes, cui nihil denegare prorſus datur, eamdem rem non haeſitabundi tractabimus, quam ſuperius temporis brevitate oppugnati non

ſatis

ſatis perfecta reliqueramus, ut cum ſemel tua cauſſa verecundiae fines tranſiverimus, bene, & naviter impudentes, te nunc efflagitante, denuo ſimus. Id autem commode, quod iubes, videmur praeſtare poſſe, cum nuper inſtitutum ſermonem cum eodem Xantho Pontio in ſuo pago perfecerimus, ne ſermo hic ſcilicet cum ſuperioribus diſcrepet. Tu interea, Benedicte mi, dum haec agimus inter nos, Romanis ſpretis deliciis, animum tuum transferas in Vicum Pontium, ut una eſſe poſſimus, & iucundiſſima conſuetudine frui.

## SECUNDUS DIALOGUS PONTII HABITUS

*Interlocutores iidem, qui ſupra, Franciſcus, & Xanthus.*

CUM ſumma me ſatietas cepiſſet Urbis, ſtatuiſſemque ab ea tantiſper faceſcere, dum ii in Columnenſes Pontificii motus conticeſcerent, transferendi me in Vicum Pontium ſumma cupiditas inceſſit; nam & ibi ſumma ſalubritas aeris praedicabatur, & Xanthum

thum meum me conventurum ſperabam, cui tamen non mediocriter ſuccenſebam, quia pollicitus coram ſaepius, & per litteras Romam protinus ſe collaturum, & mecum per hiemem totam futurum, fruſtratus erat exſpectationem meam: eo igitur cum protinus acceſſiſſem, apud te quum divertiſſem, praeter ſpem non adeſſe Xanthum comperi, ſed percunctatus fratrem de eo inveni appropinquare adventum ſuum. Biduo iam ibi fueram, cum eum adeſſe cognovi, quare nolui officio deeſſe, verum ſtatim hominem conveni; ille ubi me inſperato videt, ut eſt omnium humaniſſimus, ſtatim me amplectitur, rogatque: ſatin ſalve? quod ea tempeſtate praeter inſtitutum meum in ſolitudines conceſſeram. Enimvero cum didiciſſet omnia, gaviſuſque plurimum fuiſſet, de eo non vulgariter conquerenti, quod ad conſtitutam diem Romae non affuiſſet, tenuiſſimam valetudinem ſuam cauſſatus eſt. Vix excuſationem ſuam acceperam, cum de te percunctatus pluribus verbis audivit, quae

quae ſibi maxime voluptati fuerunt, de rebus tuis; nec multo poſt ſubiecit haec verba Xanthus. Heri poſt meridiem, Trebii dum eſſem, erraremque, ut ſoleo, cum me ſtudiorum coepit ſatietas, occurrit mihi mulio D. Benedicti noſtri, qui mutua data, acceptaque ſalute, dixit mihi habere ſe ab urbe Roma ſex capita marmorea mirae pulchritudinis, & vetuſtatis. Rogavi, ut eorum mihi faceret copiam; ille haud gravatus ſtare mulum iubet, diducit gauſape, quo tegebantur clitellae, educit Iani caput ſane examuſſim marmore Pario deductum, in quo novum quodpiam offendi, quod haud temere alias offendi, anteriorem ſcilicet faciem iuvenilem figuram praeſeferentem, poſteriorem vero provectiori aetate hominis. Id quamobrem uſurparint praeter omnium conſuetudinem marmorarii, non facile diſpicio, niſi celeritatem temporis, cui praeeſt Ianus, fortaſſe voluerint iis ambagibus innuere; ſive quod mihi fit veriſimilius, nos oportere in iuventute plurimum ſapere, ut

dum

dum aetas viget, ſenectuti viribus defectae viaticum mature praeparemus, ne ludibrio ſimus, & deſpectui, nec minus oneri tribulibus, & conſanguineis noſtris ad ſenium redacti. Nec tertium gravabor addere, quod meo iudicio haud quaquam ratione caret, fuiſſe ſcilicet Ianum iam tunc aetate integrum, cum hoſpicio Saturnum regno profugum comiter acceperit, qui poſtea nimia concordia in unum coaluerint. Tu de hac tota quaeſtione quid dicas, exſpecto. *Franciſcus*. Ego amplius de ea re deliberandum cenſeo, quippe maior eſt multo, quam fronte promittat; ſed tu perge, obſecro, & nobis enarra, quae praeterea fuerint capita, nihil enim in praeſentia facere gratius potes. *Xanthus*. Ita faciam. Depoſito Iano, extulit aliud caput nempe mulieris, quod neſcio, utrum Iolae Euryti filiae Oechaliae regis, an Omphalae reginae Lydiae tribuam, certe Lydiae potius fuiſſe dixerim, quippe nihil Graecum ſapit, ſed utramque pellem leoninam induiſſe, clavam

geſſiſ-

geſſiſſe, relictis fuſis, & pala Herculi, vel pueri norunt. Quo ſatis contemplato capite, tertium ſuſtulit ex opere albario Marſiae Satyri ſigillum geminas tibias una inflans; quarum auctor fuit. *F.* Vide, quid dicas, plerique enim ſunt, eidemque Auctores optimi, qui contendant, Pallada primam tibias haſce mortalibus monſtraſſe, quas cum inflaſſet in ſtagno tumidiores buccas contemplata, tale propterea commentum deteſtata abiecerit eas, quas poſtea Satyrus inventas aſciverit ſibi, & ſe auctorem profeſſus non dubitaverit in certamen modulandi Apollinem provocare, nec detrectaſſe Phoebum huiuſmodi certamen. Muſis igitur praeſentibus, eiſdem iudicibus Deum viciſſe, Satyrum ſuae temeritatis excoriatione poenas dediſſe, qui poſtea in fontem ſui nominis converſus fuerit. *X.* Huius rei non eram neſcius, ſed dicentem praeoccupaſti: fuit etiam Romae Marſiae ſtatuae inſignis ſpecies, nempe, ut opinor, in Clivo Capitolino, ubi rei vadimonia ſiſtebant, nec cedit

dit ſpecie eiuſdem Satyri ſignum, & fortaſſe idem eſt, quod nuper vidimus in Aedibus Camilli Capranicae Civis Romani : diceres Marſiam alte ſublatum ligatis manibus, & pedibus deglubentem in ſaxo ſentire. *F.* Et nos vidimus : quamobrem alterum ſaxum expedi nobis. *X.* Mos tibi geratur ; ubi ſatis Marſiam ſumus contemplati, reddidimus ; at ille Olympiadis caput Alexandri Magni matris obtulit, cuius pulchritudinem obſtupuimus, nec fabulas eſſe opinati fuimus, quibus antiquitas, Auctores tradunt, eam cum Iove clam conſueſſe ſolitam, ex quo Alexandrum pepererit ; certe tradunt, filium ad eam familiariter ſcribentem ſe Iovis filium ſubſcripſiſſe, cui refragata reſcripſerit mater, ne ſe amplius in invidiam Iunonis deducat, cum eius pellicem ſe faciat hoc commento. Nec me praeterit, Philippum Macedonem Alexandri patrem ad Olympiada ventitantem, modo ſi ſcribentibus haec credimus, inveniſſe ſerpentem ſaepius ea, ut videbatur, imprudente coniugis lectum obſervan-

ſervantem, propterea non auſum regem propius accedere, deincepſque poſt natum filium minus regina uſum fuiſſe, quae verita pellicatum Amyntam ſubornaverit, ac veluti in regem armaverit, non inſcio, ut ferunt, Ariſtotele Philoſophorum tunc temporis partes ſibi vindicante. Sane haec Olympias ex Cacidarum nobiliſſima gente orta fratrem habuit Pyrrhum Epirotarum regem ſummum Imperatorem, qui cum Romanis diutius bellum geſſit, poſtremo dum Argos Graeciae urbem oppugnat, ſaxo caput ictus occubuit. Obiit autem filio ſuperſtes, iam natu grandior, quae omnia quamvis te optime memoria tenere compertum haberem; volui tamen dixiſſe, tentans, num excidiſſent mihi. Proinde tu, ſi quid imprudens praetermiſi, ſuggeras. *F.* Garris modo, nihil enim, quod ſciam, niſi fortaſſe defuerit, ſuſpicionem fuiſſe, Amyntam iſtum propter corporis pulchritudinem Olympiadi prius conciliatum fuiſſe, quam tantum facinus aggrederetur. *X.* Sit ſane, ſed per-

gam. Ubi mulio caput Olympiadis compoſuit, extulit Agrippinam eius, quae Germanici uxor C. Caeſarem Caligulam faecem totius humani generis dictum genuit, ſoror alterius Agrippinae, quae C. Domitium Neronem monſtrum hominis peperit; filia autem fuit Marci Agrippae ter Conſulis ex Iulia Auguſti filia, ſed maritum Germanicum Caeſarem unice dilexit, quem numquam ſine ſe, poſt mortem etiam paſſa eſt eſſe ad omnes expeditiones, quas marito capeſſere neceſſe erat, cum eo profecta, mulier omni laude digna, caſtitate in primis, quam Livia Druſilla ſemper ſuſpectam habuit, utpote privigna nata. Sed vereor, ne tibi tam moleſtior ſim, & putidiuſculus videar, qui harum rerum veterano talia reponam. *F.* Nihil minus, perge qua coepiſti. *X.* Dimiſſa Agrippina; Praeficam ſuſtulit, cuius omen averſatus ſtatim recondi iuſſi; poſtea caput pulcherrimum nobis mulieris appoſuit, quod ex ornatus genere vetuſto Corneliae matris Tib., & C. Gracchorum,

T. Sem-

T. Sempronii Gracchi uxoris fuiſſe, in ſuſpicionem venimus, quae quidem Cornelia adeo, ut optime noſti, a marito dilecta fuit, ut eius vitam ſuae praetulerit; quonam pacto id comprobatum fuerit, dicerem, ni te ſcire arbitrarer. *F.* Novi, nempe de ſerpentibus illis maſculo, & femina dicis. *X.* Rem tenes: ceterum Plinius lib. VII. Nat. Hiſt. hanc ortam concreto genitali teſtatur, praeſagium naturae Reipublicae opitulantis, nam Tribuni Plebis ex ea nati pene Rempublicam everterunt. Curata igitur a Medicis, a P. Scipione Africano patre, Graccho, cum quo prius graviſſimas inimicitias exercuerat, nuptum datur, ex quo cum plures filios ſuſcepiſſet, marito, ac veluti parente orbata; vidua, quoad vixit, permanſit erudiens filios; ſapientiſſima quippe ſemper ab omnibus habita fuit, eleganti ſpecie, & mira morum ſuavitate; periit autem natu iam grandis paullo ante mortem Tib. Gracchi filii. *F.* Quibus omnibus ſatis perſpectis, illi plurimas gratias egi, qui me tanti ſpectacu-

li participem fecerat. *X* Sed tenui te fortaſſe diutius iis nugis, quam par erat. *F.* Immo, ut ſcias, quomodo res ſe ſe habeat, prius noſter oſtenderat herus mihi, dum Romae eram, ſed diſſimulavi, ut te pluribus dicentem tenerem, quod quoniam praeſtitiſti exacte, tibi plurimum debemus; ſed nunc ſpaciatum eam, ſi libet, & alias res agamus. *X.* Fiat, quamvis coenandi iam tempus immineat. *F.* Sane quidem, propterea ne longius abeamus: ſed ne ſit huiuſmodi deambulatio oneri potius, quam voluptati, indicabo tibi malitiam meam. Quae capita non minus memoriter, quam belle recenſuiſti mihi, Romae per otium videram, ſed propterea eam rem tibi celavi, ut eſſet prolixior oratio tua. Diſpeream quippe, ni te cum differentem audio, omnes mihi Curios, Hortenſios, Caeſares, aut ſi quid emunctius eſt, Varrones, & Tullios audire videar: nec me hercule immerito, nihil enim tuae meo iudicio addi poteſt, aut demi orationi, ita verbis perfecta, numeris

abſo-

abſoluta ad aures meas devolvitur ; ſed vereor pluribus te laudare , ne tibi aſſentandi gratia videar id agere , quod magis a me alienum volo , quam quod maxime . De iis igitur hactenus ; nunc ut reponam , quod attuliſti mihi , niſi memoria defecerit , addam , quae denuo capita noſter herus ex amicorum munificentia nactus fuerit ; in quibus, ſi quid defecerit , ſuccenturiatus ut ſis , rogo ; nam video noctuas in praeſentia me Athenas . X. En , tu ne hic eras , mi Franciſce ? Ergo inter bonos ſic agitur ? Sic a te capimur ? Ut quae maxime contemplatus fueris , neges te vidiſſe , qui me garrientem diutius audias ? Sine modo , ego enim , qua poena plectendus ſit ob admiſſum tale , poſtea videro ; nam quod orationem meam ſatis ieſune prolatam tantopere laudas , amice tu quidem facis , ſed huiuſmodi non agnoſco eſſe eam , nec probo ; quo fit , ut ni te , tuumque amorem in me alias perſpectum haberem , mihi verba dari per te crederem ; ſed quaenam ſint haec tandem ma-



BIBLIOTECA

iorum fragmenta, viciſſim pluribus explica: alio enim pacto multum deprecari non potes. *F.* Ne ſim in culpa apud te diutius, expediam, quod quaeris, quamlibet multis. Primum omnium Cariatidis columellae fragmentum ex non ſincero porphyrite vidimus oculis captum, ſimis naribus, capite depreſſo, ut facile in eo ſervitutem agnoſcas: huiuſmodi autem columnarum unde proceſſerit origo, nemo, quod ſciam, priſcorum apud Latinos auctor praeter unum Vitruvium declarat, quem quoniam prae manibus habere te ſemper ſcio, in hoc argumento haud latius evagabitur oratio mea. *X.* Immo perge, quaeſo, & hanc mihi Cariatidum fabulam pluribus explica, nec enim C. Vitruvium manibus, ut tu reris, uſque adeo contrivi, ut memoria, quae in eo ſunt, omnia examuſſim teneam. *F.* Nihil mihi facilius, modo ſi labor is meus tibi non iniucundus fuerit, nec verecundabor aliqua de meo addere, quo ſit magis auribus tuis accepta nugatoria nunc oratio mea. *X.* Perge modo,

modo, ac mitte has ineptias. *F.* Caria igitur Peloponneſi quondam civitas non dubitavit, ingruentibus in Graeciam Xerſe Duce, & Rege, Perſis adhaereſcere; ſed cum primum Leonida Spartanorum Rege, poſtea Themiſtocle Duce, pugna navali Medorum res adeo conciſae, & attritae forent, ut Rex ille, qui potuit Abydo ponte Seſto coniungere, Neptunoque compedes minitaretur, ſcapha vix hoſtes aufugere, Graeci bellum Cariatibus intulerunt, quorum civitate poſt ſecundum praelium vi in poteſtatem redacta, virorum internecione, tectorum incendio, totius Urbis everſione ſuas iniurias ulti ſunt; nec hoc ſatis, matronas, & puellas inimicorum in ſervitutem abegerunt, & ludibrio habentes matronales habitus deponere has inter ſerviendum non ſunt paſſi, quae poſtea quum fato functae fuiſſent, ut memoria nihilominus Cariatium perfidiae, Graecorum victoriae perduraret, ſervili facie, caecutientibus oculis ex marmore vultus earum duxerunt, & co-

lumnarum inſtar in aedificiis publicis eas collocarunt. Habes Cariatium perfidiam non minori coniunctam poenae: nunc accipe pauca de Fortunae Fortis ſigno, ſeu capite potius: ea eſt facies autem, ut hominem referat, an potius feminam, non facile intuentibus iudicare ſit in promptu, cuius ſuperficies amiculi nova ſpecie caelati haud diſſimili tegitur, incompta coma in dextrum humerum reiecta, hirta, incomptaque iacet. Sed Stoici, qui fato omnia regi contendunt, nullam dant fortunam, cum quibus ſumma eſt Epicureorum digladiatio, omnia fortuito fieri aſſerentium. Poſtremo noſti adagium illud: ſapientem ſibi fortunam parare; ſed nunc cum populo craſſa, ut aiunt, Minerva agamus. Antii, quod nunc Neptuni Caſtellum ſcimus eſſe, nec minus Praeneſte Fortunae numen praeſens habebat, unde & Praeneſtinae ſortes; & nos ibidem reliquias templi magnifice aedificati, eidem dedicati, tum ſimulacra duo Fortunae, trunca ramenta quaedam

ex

ex auro adhuc ſervantia, quo illita fuerant, non ſine maximo ſtupore conſideravimus. Ceterum Romae quoque religioſiſſime colebatur non ſolum apud Portam Collinam, ubi trina erant templa eiuſdem, lacuſque is ad tres Fortunas appellabatur, ſed Fortis quoque Fortunae aedes erant trans Tiberim; cuius diem feſtum celebrabant, qui ſine aliqua arte, aut induſtria de die in diem vivebant; Eamdem de amne Meſim (Graeci ut aiunt) Perſae dicebant. Sed ut ad alias tranſeamus, vidimus etiam Terentiam M. T. Ciceronis uxorem naevo circa frontem inſignem: dicerem profecto eam ad centeſimum ſupra vigeſimum annum aetatis ſuae perveniſſe, ni te ex Plinio noſtro didiciſſe ſcirem; adderem etiam poſt Aciem Pharſalicam male ſecum Cicerone profugo tamdiu geſſiſſe, niſi cognoſcerem liquido ligna me in ſilvam ferre. Quod vero habuerit Fabiam virginem Veſtalem, cum qua L. Sergius Catilina clanculum rem habuerit, ſororem, eamque accuſatam inceſtus,

patro-

patrono Cicerone, abſolutam dicit C. Salluſtius, M. etiam Cicero ad Atticum ſcribens innuit. Nam ridiculum mihi videtur tibi redigere in memoriam non ſolum, quod Tulliolam, & M. Ciceronem Tullio genuerit, verum etiam quod repudiata a Cicerone Salluſtio nupſerit, poſt quem M. Meſſalae nihilominus matrimonio, quamvis decrepita, ſe coniunxerit. Aderat etiam Hercules, quem ex Iove, & Alcmena deluſa ortum ferunt, cuius XII. feruntur expeditiones memorandae. Sed Cicero, Diodorus etiam Siculus plures fuiſſe Hercules aſſerunt, quorum egregia facinora in unum Boeotium Graeci gloriae ieiuni contulerint. Nunc ſolus relinquitur Britannicus, quem ex Statilia Meſſalina, & C. Claudio Caeſare ortum ferunt, optimae indolis iuvenem, quem prima iuventa veneno ſublatum ferunt, ut tamen generoſi prius nomen optimis moribus uſurpaverit. Unde Iuvenalis:

*Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.*

Sed

Sed nos, quod piaculo proximum fuiſſet, pene taciti ſtatuam praetermiſimus, quam ſpecie, & ſua novitate ceteris pulchrioribus praetulimus, ea eſt Domitiani Flavii pacificatoria, ſedens in hemicyclo, dextra manu protenſa ab aure, toga praetexta a dextro latere in ſiniſtrum genu reiecta, ceterum ſiniſtrum eſt latus totum eadem toga ab humero ad imos pedes velatum, ut omne tamen pectus, & dextrum brachium cum ſcapula ſit omnino ab omnibus veſtibus liberum. Quaeris fortaſſe, ut nunc tibi pluribus eam laudem, ſed non eſt mehercule huius otii; nam dies citius me defecerit, quam vel minimam eius pulchritudinis, & venuſtatis partem explicaverim. Quamobrem breviter in praeſentia tecum agam, & in pauca colligam, quae dici poſſunt: marmor eſt Parium, Mentor artifex, quem marmorariis ſuae aetatis nullis prorſus ceſſiſſe, ſatis conſtans ſcriptorum fama eſt; ſpecies, cui in eo genere nihil addi poſſe videatur; unde non immerito nunc herus noſter, ut

eam

eam in integrum reſtituat ( ut eſt ad id diligentiſſimus ) aliquam impenſam facit ; quippe deſunt pedes , totumque dextrum brachium cum naſo . Illud eſt autem , quod ſummopere mirati ſumus ; artifex ille , ne videretur cum ſuo magno malo calvitiem Domitiani ſtatuae , ut erat , calvum fingendo exprobraſſe , nollet tamen a veritate diſcedere , capillum finxit ad cutem adeo , ut vix tactu deprehendi poſſit oculis conſpicuis . Unde ſtatuarius quidam , qui primas in arte ſua ſibi vendicat , nobis riſus fecit , cum voluit aſſerere capillamentum huiuſmodi ſibi non placere , nec eſſe antiquum , ſed de eo hactenus . In ſiniſtrae manus digito minimo eſt annulus ille ſibi cariſſimus , quo libellos obſignare conſueverat , & , omnia ne attingere coner , ſceptrum eadem inclinatum retinet manu , vetuſtatis , ſeu barbarorum incuria truncatum . X Mira narras , mi Franciſce: ſtatuam quam mihi ante oculos pene conſtituiſti ! ſed quod ſit Mentoris manu facta , vetat ratio temporis , quippe is ante calvum

tuum

tuum Auguſtum per multa ſaecula floruit. *F* Ita eſt, ut dicis, mi Xanthe, ſed cum dixi Myronis (ah volui Mentorem dicere, nam ille faber aerarius, cuius bucula praedicatur) eſſe, iuxta eius artem volui dicere conformatum ſignum, ferme igitur novo modo loquentem. Quid quod magnitudinem ſtatuae pene oblitus ſum dicere? *X.* Illud, ſive utrumque potius parum retulit, ſed dic magnitudinem, quando inſtituiſti. *F.* Ea eſt, ut ſtans ad ſextum pedem poſſit pervenire. *X.* Tu vero quid affers de noſtro Domitiano? Nam ego (ut tute ſcis) Graecis totum otium terens auctoribus, eiſdemque ſacris omnia, quae de eo tradantur, prorſus ſum oblitus. *F.* Videbis, poſteaquam pauca praefatus fuero: ſtatua haec igitur ex Villa Flaviorum effoſſa ab octavo ſub terram pede a quodam Sellulario Romano Germani Ambroſii opera eius, qui hero noſtro plurimum debet, duodecim nummis aureis in poteſtatem Benedicti noſtri pervenit eo nomine, atque fama, ut paucis diebus poſt Flamen quidam

no-

noſter ſex millia nummûm pro ea ſe daturum pollicitus fuerit; ſed noſti Benedictum; profecto ſi, ut arbitror centies HS. protuliſſet, numquam potuiſſet impetrare, nec iniuria. Sed vereor, ne ſi pluribus laudavero, videar mentiri; quamobrem hanc totam extimationem, ad te cum allata fuerit, libens reiiciam. Sed heus tu, quid attinet plura de Domitiano nunc garrire, cum ſuperius de eo ſatis multa videamur dixiſſe? *X.* Tu vero caput tantum ornaſti verbis, nunc cum additum fuerit pene totum corpus, nonne erit facinus admiſsum flagitioſum, ſi reticueris? Quamobrem cenſeo, ut pro portione de eo mecum agas, ideſt, ut quanto totum corpus eſt capite maius, tanto magis quod pridem in capite fecerat, nunc exuberet oratio tua. *F.* Vah iniqua poſtulas. *X.* Quid ita? *F.* Quia trivialia a me repeti poſtulas, & Sol in veſperum iam eſt inclinatior; ſed ne perpetua ſit haec oratio uſque in noctem, ſimul ut tibi morem geram, uti deeſſe non poſsum, operam dabo. Flavius

igi-

igitur Domitianus inopia rapax, metu ſaevus, in fratrem, & patrem impius Romae ad Malum Punicum IX. Cal. Novembris patre Coſ. deſignato, & Domicilla liberta natus eſt in ea domo, quam poſtea gentis Flaviae Genio conſecravit: infamis adoleſcens fuit, & contaminatis moribus, Vitelliano bello relatus in Capitolium, poſt eius expugnationem, & incendium, Sacerdotis Iſidis habitu velatus vix mortem evaſit. Superfluas omnes expeditiones iuvenis affectavit; Princeps declaratus quotidie per horam ſecretum petebat, ubi nihil aliud ageret, quam ſtilo muſcas caperet, aut conficeret. Uxorem Domitiam duxit, quam repudiatam propter amorem Paridis Hiſtrionis paullo poſt diſſidii impatiens, quaſi cogeret Senatus, reduxit, ex qua ſuſcepit filium non diu duraturum. In ſpectaculis magnificus fuit, ut virorum non ſolum pugnas, ſed & feminarum in Amphitheatro inſtituerit. De Dacis, Cattis, & Sarmatis ter triumphavit. L. Antonium molientem bella Civilia mira felicitate oppreſſit;

preſſit ; caſtrari mares vetuit , ſpadonum pretia apud mangones moderatus eſt ; ius diligenter , & induſtrie dixit , nummarios Iudices notavit ; ſcripta famoſa abolevit cum ſumma auctorum ignominia ; probroſis feminis uſum lecticae , adeundaeque hereditatis ius ademit ; Virgines Veſtales inceſti damnatas more maiorum coercuit . Principatus initio ab omni caede abhorruit , ut edicere , ne deinceps boves immolarent , deſtinaverit ; nec aliud ſuos admonebat , quam ne quid impie , aut ſordide facerent . Hereditates ab iis , quibus erant liberi ſuperſtites , non accepit ; Fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſit , una vox eius : Princeps , qui delatores non caſtigat , irritat . Sed brevi poſt cruentior omni belua fuit , ut omnes cuiuſcumque gradus ulla minima ſuſpicione cunctatos vel minimo verbo mori coegerit . Philoſophos Italia expulit , aliquos immiſso per obſcoena igne interfecit , plures cruci affixit minima , aut nulla cauſa ; nam quemque animadverte-

bat ,

bat, quin hac praefatione verborum non uteretur in Senatu: Permittite, P. C., a pietate veſtra impetrari, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis, nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes Senatui interfuiſſe. Exhauſtus tandem edendis ſpectaculis, & operibus publicis, quocumque delicto damnatorum bona Fiſco addixit, omnes hereditates ſubvectis falſis teſtamentis ſibi vindicavit, vel minimo viventis dicto, & quidem falſo prolato morientis bona uſurpavit. Iudaeos maxime expilavit, & urbe demum, ſublatis omnibus eorum bonis, ſub gravi edicto expulit. Superbiſſimus, idemque arrogantiſſimus ſemper fuit, ut dictando epiſtolas ſemper ſic inciperet: Dominus, ac Deus noſter ſic fieri iubet. Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas, & argenteas, & ponderis certi poni permiſit; Septembrem menſem, & Octobrem Germanicum, Domitianum iuſſit appellari, quod altero ſumpſiſſet imperium, altero natus fuiſſet. Inde terribilis, & odioſus cunctis: tan-

dem intimorum, & uxoris conſpiratione, poſteaquam Iuliam neptem ex obitu patrui Domitiani periiſſe compertum habuit, oppreſſus eſt eodem die, hora, genere mortis, quae ſemper, ut perniciem certam ſibi afferentia, ſuſpecta habuit. Adoleſcentulo Chaldaei cuncta praedixerant; pater quoque a fungis tamquam lethalibus adoleſcentem pertinaciſſime abſtinentem iis verbis increpuerat: Quid tu fungos tantopere tamquam noxios, & lethum tamquam afferentes averſaris? Ne fati ignarus es tu? ferrum enim tibi, ferrum, inquam, non fungi, lethum afferet. Appropinquante autem hora mortis ſolicitior in dies inter alias fungite lapide parietes, porticus, in qua deambulare plerumque conſueverat, veſtivit, & niſi ſecreto tenens catenas manibus ſuis cuſtodias numquam audierit, Epaphroditumque a libellis, quod Neronem in adipiſcenda morte adiuverit, capitali poena multavit, patrueles ſuos interemit nulla pene ſuſpicione, quae omnia ſibi mortem maturarunt; ſed eo anno, quo

extin-

extinctus eſt, continuis octo menſibus tot fulgura facta ſunt, ut ipſe exclamarit: Iuppiter iam feriat, quem volet. Tactum de caelo Capitolium, Flaviae gentis templum, Domus Palatina, cubiculum ipſius, e baſi ſtatuae ſuae titulus eraſus a procella; Arbor, quae privato adhuc Veſpaſiano everſa ſurrexerat, rurſus repente corruit; Praeneſtinae ſortes fatum imminens praedixerunt; Minerva etiam in ſomniis illi negavit ſolitum praeſidium eo, quod eſſet a Iove exarmata; Aſcletarionis autem reſponſum maxime Domitianum afflixit, qui nullis ambagibus fatum imminere ſibi praedixit: cumque immineret hora peragendi facinoris, quamquam ſemper expaverat, interroganti, quota hora? ſexta de induſtria pro quinta nuntiata eſt; ille vero quaſi periculo functus non amplius animum fatis adiecit, quae fuiſſe eiuſmodi, compertum habemus. Dum eſſet in cubiculo, Stephanus Domicillae Procurator interceptae pecuniae reus, profeſsus inſidiarum inditium, confeſtim admittitur, ad-

miſſus tradit coniurationis libellum, legenti ferro identidem haurit inguina; repugnantem adorti Clodianus Cornicularius, & Maximus Parthenii Libertus, Saturius Decurio Cubiculariorum, & gladiator vulneribus ſeptem trucidarunt XIIII. Kal. Octobris anno aetatis XLV., imperii XV. Cadaver tamquam ex infima plebe per veſpilliones elatum Phylio nutrix in ſuburbano ſuo, unde hanc habuimus, via Latina tumulavit, poſtea reliquias clam templo Flaviae gentis intulit, & cineribus Iuliae neptis, quam vivens in delitiis habuerat, immiſcuit. Ceterum ſtatura fuit procera, vultu modeſto, rubore ſuffuſo, grandibus, & hebetioribus oculis, maiore tamen naſo, praeterea decens in iuventa, pleno ore, digitis pedum reſtrictioribus, cetero corpore pulcherrimo; vergente in ſenium aetate, calvitio laboravit, graciliora habuit crura, ventrem obeſum, laboris impatiens, armorum nullo, ſagittandi ſummo ſtudio tenebatur, ut protenſam manum pro ſcopulo per intervalla digitorum

citra

citra noxam pluribus ſagittis tranſmiſerit. Liberalia ſtudia initio principatus attigit, paullo poſt abiecit, quamvis Bibliothecas incendio conſumptas maximo ſtudio reparavit. Maximi fuit cibi, alea tenebatur, portentoſae libidinis in feminas dumtaxat, quam lectulariam colluctationem graece ſolebat dicere. Eius interitum miles aegerrime tulit, ut non prius deſtiterit, quam mortis auctores ferme omnes fuerint interfecti. Voluit etiam monſtrum hominis Diis adſcribere, perfeciſſetque, ni Senatus coeptis obſtitiſſet, qui contra adeo morte laetatus eſt Domitiani, ut ſtatuas eius deiecerit, titulos abraſerit, maledictis omnibus inceſſerit mortuum, parumque abfuerit, quin unco cadaver in Tiberim per carnifices trahi iuſſerit, acta eius omnia reſciderit, & leges antiquarit. Nec mehercule immerito, fuit enim ſemper omnium bipedum nequiſſimus, quamvis in iuventute vitia ſapientiſſime diſſimularit; Nam quid de eo dicas, qui Iunium Cerealem in Germania Imperatorem ſuccinctum

pluribus legionibus per litteras, & occultos internuncios incitare conatus fuerit in patrem, fratremque rerum dominos? Titum poſtea fratrem non ſemel, atque iterum inſidiis appetiverit, animam agentem ab omnibus deſtitui eumdem iuſſerit, mortuos variis jocoſis dictis, acerbiſſimis tamen in commeſſationibus propalam perſtrinxerit, omnia iura humana, divinaque nihil fecerit, omnes omnium fortunas, & uxores, aut filias concupierit, & per facinus tandem adeptus fuerit? Paridis Hiſtrionis cum uxore adulterium aequo animo tulerit, feminae mancipium ſe profeſſus, ne ſe nequiſſima femina privaret, quam ardentiſſime dilexit. Haec ſunt, quae de vita nequiſſima impuri hominis ſtricte colligenda duximus.

ALDI

# ALDI MANUTII
## PAULLI FILII ALDI NEPOTIS
## *TRACTATUS*
## DE STATUIS DEQUE EARUM ANTIQUITATE ET USU

*Ex Schedis Mſs. nunc primum in lucem editus.*

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

*AD SPECTATISSIMUM PRAESULEM*

IOHANNEM M. RIMINALDIUM

PRO PATRIA FERRARIENSI CIVITATE

IN ROTA ROMANA

STLITIBUS IUDICANDIS XII. VIRUM

# PRAEFATIO.

*LITTERARIAS res iis potiſſimum inſcribi decet, RIMINALDI Praeſul praeſtantiſſime, qui vel eas pro dignitate aeſtimare noverint, vel quibus eaedem quoquo modo convenientes Editoris animum & obſtrictum, & gratum, & obſervantem teſtaturae ex officio videantur. Hac igitur de cauſſa id mihi nunc pro tua in me humanitate, ac benevolentia integrum eſſe cenſui, nec te dedignaturum quinetiam putavi, hanc Aldi Manutii Iunioris Tractatiunculam* de Statuis, deque earum antiquitate, & uſu *nomini tuo inſcriptam in eruditorum lucem nunc primum emittere. Res ſiquidem eſt, uti vides, quae antiqua monumenta, Statuas nimirum, illuſtret, quibus omnibus colligendis, comparandiſque operam tanto laudabiliorem, ac magnificentiorem ipſe navas, quanto maiori eruditionis, & litteraturae commodo, ac emolumento ratio, qua id peragis, conducit. Tu enim parum laborans de domeſtico luxu, cui plerique, multum ceteroquin commendandi,*

aeſti-

*aeſtimandique, litterariae cuiuſcumque ſupellectilis acervos inſervire quodammodo & ſatagunt, & gloriantur, vetera omnia monumenta vel quae Romae paraſti, vel quae in Patria proſtabant diſperſa, in unum colligenda curaſti, ac laudando in aevum conſilio id tuis impenſis perfectum tandem eſt, ut Ferrarienſis Academiae, quae tuis pene immenſis, atque etiam incredibilibus diligentiis, ac ſollicitudinibus ſuffragantibus a CLEMENTE XIV. P. O. M. pro ſuo in litteras amore, ac ſtudio ad novum decus, & amplitudinem erecta eſt, veſtibulum, & porticus qua Inſcriptionibus, qua Anaglyphis, qua Signis, ceteriſque huiuſmodi antiquitatis cimeliis ornatae tum civium, tum advenarum oculos eruditione, & oblectamento illectos in ſe converterent. Cur & non memorem internum Muſeum, quod & a Vincentio Bellinio populari tuo ſane diligenti, ac erudito iam conditum, & Academiae adſcitum tu aeneis Signis potiſſimum, aliiſque locupletandum curaſti? Cur taceam Libros quamornatiſſimos, & ſumptuoſos, tum ad haec ſtudia, tum ad cetera omnia ſcientiarum, & artium inſtituta, quae in Academia traduntur, pertinentes, quibus Bibliothecam ipſam quotidie ditandam eniteris? Verumtamen his omnibus etiam accedit, quod haud praeterire nunc decet, te novum inſuper decus Templo Urbis tuae primario, maternoque addidiſſe, inlatis in ipſum SS. XII. Apoſtolorum Protomis ab Alphonſo Lombardio egregio ſane Sculptore affabre elaboratis; quod & tuam in Patriam pietatem omni commendatione digniſſimam, & tuum in bonas*

*nas artes ſtudium vere mirificum, & ſingulare, ut & cetera alia, quae iam raptim innui, abunde teſtantur. Quare recte me feciſſe videor, qui celeberrimi Scriptoris Opuſculum de Statuis erudite ediſſerens tibi nuncupaverim. Aſt & gratus animus, & officium quinetiam ad id me urgebant. Verſabantur enim mihi ante oculos ſingularis comitas tua, ac humanitas, tum etiam inſignis tuorum in me meritorum cumulus, quibus me ſaepe devinxiſti, quaeque me ſaepe monebant, aliquod a me etiam in te promendum viciſſitudinis officiorum teſtimonium. Sed quae exhibeat homo tenuioris litteraturae, niſi quae ſunt ex penu ſuo? Habe igitur,* Riminaldi *Praeſul ſpectatiſſime, hoc litterarium munuſculum, atque ex Manutiano nomine, quod praefert, aliquid aeſtimare ipſum ne te nunc pigeat. Noſti, qui ſit Aldus Iunior, tum & nonnulla ſuperiori Anecdotorum Volumine a nobis dicta fuerunt, quae quidem nobis eadem repetendi otium nunc faciant. Illud tamen monebo, in Libro altero Aldi Iunioris, qui eſt* de Quaeſitis per Epiſtolam (a), *unam legi ad Ioh. Michelium Equitem* de Signo, & Statua, *in qua nimirum differentia, quae inter haec fere ſynonyma intereſt, breviter ſtatuitur. Accepi non ita pridem, in Bibliotheca Fratrum Minoritarum Conventualium Bononiae haberi Ms. Orationem Aldi noſtri* de Laudibus Sixti V., *quae & a Tempeſtio in Vita eiuſdem Pontificis memoretur. Certe cura omnis adhibebitur, qua aliquod ex ſubſequentibus hiſce no-*

(a) *Venetiis 1576. lib. II. num. V. pag. 67.*

*noſtris Voluminibus ipſam litterato Orbi communicet. Id unum reſtat modo*, RIMINALDI *praeſtantiſſime, ut Amadutium tuum, qui te colit, & obſervat quammaxime, gratia tua fovere pergas. Vale.*

*Datis ex Aedibus meis a. d. III. Idus Novembris anni* CIↃIↃCCLXXIII.

ALDI

# ALDI MANUTII IUNIORIS *TRACTATUS* DE STATUIS.

STatuarum uſus haud eſt dubitandum, ut in omni terra habitabili cognitus fuit, ita & antiquiſſimum fuiſſe, & aequalem temporibus Deorum falſorum Gentilium, & antiquiorem forſan, quam iis, quorum nomina in Graecis, & Latinis litteris celebrantur. Namque Oſiris, & Iſis in Aegypto, ubi per multa ſaecula tamquam Dei venerati ſunt, Statuas fecere Iovi, & Iunoni, & templa, quorum inventores eſſe volunt Aethiopes, & ab ipſis Aegyptios didiciſſe uſum Statuarum, & litterarum, & quomodo coli debeant Dii. Alii originem Statuarum tribuerunt ſervo ex progenie Iapheti. Hic voluit eos, qui in vita fuerint praeſtantes viri, poſt mortem conſequi divinos honores cum Statuis, vel imaginibus, tam-

tamquam humano generi optime conſuluerint, & venerari, tamquam viverent adhuc, ſinguliſque annis eorum memorias magna adhibita ſolemnitate celebrari, credereque hominés hos eſſe Deos benefactores. Inde nata eſt Idololatria, id eſt adoratio Statuarum, quae duravit uſque ad Tharan patrem Abrahami, qui fabricatus eſt Statuas, & docuit earum adorationem populos. Verum iuſtus filius videns honorem, qui vivo Deo dari debebat, verti ad cultum mutarum, & materialium Statuarum, ruptis paternis operibus, in Palaeſtinam tranſit, ubi credens divinae voci principium dedit populo a Deo electo. Statuarum notio non prius fuit in Graecia, quam ab Orpheo ab Aegypto reverſo allata fuerit; quamvis ex quorumdam ſententia ante eum Cadmus auctor Civitatis Thebanae ex eadem regione in Italiam profectus primus dicatur in templis dicaſſe Statuas. Opinantur aliqui, Telchinos Rhodi primos Statuas formaſſe, alii populos Etruriae voluerunt eſſe primos auctores.

res. Et certe quanto ſerius alicubi hic cultus acceptus fuit, eo maiore in obſervatione, & reverentia fuit, & ideo Aethiopes minus dediti Idololatriae fuere, quam Aegyptii, hi a Graecis victi fuere, apud quos mira leguntur de hac ſuperſtitione, veluti in Delo, ubi fuit Statua Apollinis eo habitu, ut dextera manu ſuſtineret inflexum arcum, altera tres Gratias, quarum quaelibet habebat muſicum inſtrumentum, cuius fabricatores fuere eodem tempore, quo famoſus Hercules. Haecque nulla fuit, ſi ſpectemus eas, quae temporibus proximis ſubſecutae ſunt. Materies prima Statuarum in Graecia fuit ex ligno, & ideo Apollinis Statua in Delo ab Eryſichthone dicata fuit lignea. Pariter illa Palladis, quae per multos annos fuit apud Athenienſes, itemque illa Iunonis in Inſula Samo, ut ſcribit Callimachus. Apud Romanos potentes, quamvis ſpatio centum, & ſeptuaginta annorum non eſſent Statuae Deorum ex quorumdam opinione, primae ex terra fabricatae fuerunt,

runt, vel ex ligno. Inde tam apud Graecos, quam apud Romanos, creſcente cum ſuperſtitione cultu, factae fuerunt ex marmore, ebore, & aliis metallis, ita ut, ſicuti ipſi fuere poſtremi in hoc cultu, ita omnibus aliis nationibus fuerint ſuperiores. M. Varro ſcribit, antiquos formaſſe ſimulacra Deorum, & inſignia, & ornamenta illorum, qui videntes eos oculo animae, qui intellexiſſent myſteria doctrinae, poſſent animo aſpicere animam mundi, & ſuas partes, id eſt veros Deos, quorum ſimulacra, qui humana ſpecie figurabant, hoc videntur elicere, animum mortalium, qui eſt in corpore humano, immortalem reddi, ut ſi fuiſſent poſita yaſa, ut ſignificarent Deos; & in templo Bacchi collocata lagena, ut denotarent vinum, & ita ob Statuam, quae haberet formam humanam, intelligeretur anima rationis compos. Variis modis a veteribus fabricatae fuerunt Statuae, & ex affectibus, quos ex iis derivare homines videbant, cum in iis operarentur etiam daemones, homi-

nes,

nes, vel ſapientes temporum illorum, & in rerum uſu admodum verſati, non modo vulgus, ad errores adducti fuere. Quem non timore repleſſet Statua Hieronis in Delphis poſita, quae per ſe cecidit eo ipſo die, quo ipſe Syracuſis obiit? Pariterque Statua Hieronis Spartani, cuius oculi cecidere prius, quam ille in pugna Leuctrica occumberet? Et ſtellae a Lyſandro dicatae ob victoriam in pugna navali partam apud flumina Aegadum cum evanuerunt, cui non horribilem admirationem attuliſſent, veluti, quando a Statua marmorea eiuſdem germinavit in capite herba ſpiſſa, ita ut ea vultus totus obtegeretur? Statua Dianae Pelleneae, ſi fuiſſet loco mota, ita ſpectatorum oculos praeſtringebat, ut nemo eam attente ſpectare potuerit, nec ſolum erat terrori hominibus, ſed etiam in his omnibus regionibus, per quas circumferebatur, adducebat arboribus ſterilitatem. Narrat M. Cicero, cum Verres ſpoliaſſet inſulam Deli multis Statuis, & vellet ex inſula ſolvere, illico natam ter-

ribilem ventorum pugnam, quae non ſolum raptorem non ſivit pervenire cum praeda ad optata patriae littora, ſed etiam ex fluctibus magno impetu navis proſtrata fuerit, ſalvis Deorum imaginibus. Statua Fortunae Muliebris poſita in via Latina a Roma milliaribus quatuor bis locuta eſt. Cum Carthaginienſis Civitas praedaretur, mileſque Statuam Apollinis ſpoliare vellet aurea veſte, manus a brachiis divulſas ſibi reperit. Penates ab Aenea e Troia in Italiam allati, & in Lavinio collocati bis ab Aſcanio in Albam translati fuere ab eo aedificatam, & bis per ſe reverſi ſunt ad antiquum ſacrarium. Cum Magnus Alexander tranſire voluit cum hoſte in Aſiam, Statua Orphei, quae apud Pierios erat, per longum temporis ſpatium ſudorem ſudavit; qua ex re cum alii terrerentur, Anſtander dixit, nullam huius rei dubitationem eſſe debere, quod ea re ſignificaretur maximus labor, quem Scriptores ferre deberent in narrandis magnificis Alexandri geſtis. Quod Lucianus

inter

inter alios narrat de Statuis poſitis in Civitate Hierapolis, digna admiratione de Statua Apollinis omni humana fide maius eſt, cum, quando reſponſum aliquod datura eſſet, in ſedili ſuo agitaretur. Quod cum viderent Sacerdotes ſtatim loco movebant, quod niſi feciſſent, ſudabat, & maiori agitatione agitabatur; ſublata autem ſupra Sacerdotum humeros, illos movebat in gyrum eos vertens, & ab uno ad alium ſaltabat. Tandem cum ei Pontifex obviam veniret interrogabat eam de iis rebus, quas volebat, & cum aliquid laudabat, eos, qui eam ferebant, movebat, cum aliquid fieri nolebat, eos fecit regredi. Dicit idem auctor, ipſo praeſente, ferri a Sacerdotibus ex antiquo more, ipſamque, relictis iis in terris abſque humano auxilio, & ingenio, per aera ferri. Multa his ſimilia leguntur in Scriptoribus utriuſque linguae, quae modo ob brevitatem recenſere ſuperſedeo. Hinc magnus Mercurius opinatus eſt, Statuas has eſſe corpora Deorum ab homine fabricatorum. Nam

veluti Deus fecit Deos aeternos, ut ipſe dicebat, ut ipſi ſimiles eſſent, ita humanitas manens in imitatione divinitatis fecit ſuos Deos ad ſimilitudinem vultus ſui, id eſt Statuas animatas cum ſenſu, & ſpiritu plenas, quae tanta, & talia efficiunt, praevidentia futura, & praedicentia, de quibus divinatores nullam cognitionem habuiſſent, generantes debilitatem, & infirmitatem hominibus, & eam curantes, afferentes gaudium, & triſtitiam ex merito cuiuſque. Alibique dicit, homines reperiſſe artem, qua efficerent Deos, cui repertae addiderunt virtutem convenientem ex mundi natura; & eam miſcentes, cum non poſſent animas formare, vocantes eas vel Daemonum, vel Angelorum, inducebant in eorum imaginibus, ex quibus ſoli Idoli poſſent habere vires efficiendi bonum, & malum. Attamen his omnibus illuſionibus inventi fuerunt homines ſingulari prudentia, qui cognovere has omnes operationes eſſe Daemonum fallentium multitudinem, & ab huiuſmodi cultu

cultu removebant alios dicentes: non poſſe rem aliquam efficere aliam ſe meliorem; hominemque, cum ſit melior Statuis, & a meliori origine procreatus, non debere operata ponere in fabricandis Idolis mutis, in quibus nihil aliud eſt, niſi umbra quaedam. Et quamvis aliquando repertum ſit, ob violatas Statuas, violatorem damnum accepiſſe, hoc factum eſſe Daemonum opera, qui in iis habitabant, qui ſe privari conſueto honore ſentiebant. Ideoque apud populos Seres dictos, erat lex, quae vetabat neminem adorare Statuas. Eadem obſervatur ab Indis dictis Brachmanis, & Bactrianis, & Perſis. Dicamus nunc de virtute, quam homines addidere Statuis, ex mundi natura, infundentes in ipſis animas Daemonum. Solebant veteres prudentes fabricari quaſdam imagines, quo tempore planetae ingrediebantur caelum ſimilibus adſpectibus, opinantes res inferiores ſubiici caeleſtibus formis: & ideo dicebant, tunc cum aliqua utilitate poſſe formari imaginem Serpentis, cum Luna

ingreditur caeleſtem Scorpionem, & haec efficacia univerſa in has imagines a caeleſtibus figuris transfundebantur. Erant & alia genera Statuarum, quas Magicas vocabant, quod ab iis eſſent magia naturali formatae, & ut ſciatis, quales eſſent, conabor brevibus modum narrare. Dicebant in rebus naturalibus eſſe quamdam ſimilitudinem, & conformitatem, quae a Graecis dicitur ſympathia, inter unam, & aliam, & virium manifeſtarum ad occultas, & tandem rerum ſupremarum cum infimis, & infimarum cum ſummis, ideoque in caelo eſſe res terrenas ex cauſſa, & modo caeleſti, & in terra eſſe res caeleſtes, verum modo terreſtri. Quare videri eas plantas, quae ab effectu dicuntur heliotropiae, id eſt vulgari nomine *giraſole*, in gyrum verti motu Solis, & verſus Solem, & ſilenetropias ſequi lunarem curſum, cum omnia precentur, & decantent, tamquam laudes Divis ſui ordinis. Verum alias modo intellectuali, alias rationabili, alias naturali, alias ſenſibili. Ergo planta,

quae

quae Solem ſequitur, movetur Solem verſus, quo modo poteſt : & ſi quis poſſet audire ſonum, quem facit, cum in gyrum ſe vertens aerem percutit, certe cognoſceret illam eo modo eſſe fabricatam erga ſuum Regem, quae ab ipſa proficiſci poteſt. Lotos arbor eſt, qui, antequam Sol oriatur, folia habet in ſe collecta, ſurgente Sole, pedetentim ea explicat, & ita ſequitur explicare, donec ſit ad medium caelum : poſtea incipit denuo ea claudere paullatim, donec in mare Sol proluit. Haec planta non minus videtur Solem colere, claudens, & aperiens folia, quam homines faciunt geſtu oculorum, & motu labiorum. Ideoque Aegyptii, qui variis figuris pro litteris exprimebant mentium cogitata, cum oſtendere volebant ſacris eorum litteris Solis ortum, formabant puerum ſupra Loton aſcendentem, qui videbatur quaſi a materno alvo ad lucem proveniſſe. Et non ſolum poteſt hoc videri in plantis, quae aliquo argumento vitae partem habent, ſed & in ſaxis ſimiliter quaedam imi-

tatio, & participatio ſupernorum luminum, veluti in petra dicta Helite, id eſt Solari, quae radiis aureis imitatur radios Solis, & ea, quae dicitur Caeli oculus, vel Solis oculus, habet pupillam ſimilem pupillae oculi humani, a cuius medio exit radius. Petra Selenites, id eſt Lunaris, quae formam Lunae refert quadam ſui ipſius mutatione, ſequitur lunarem motum. Hoc modo omnia plena ſunt divinitatis, terrena caeleſtibus, caeleſtia ſupracaeleſtibus, & procedit quilibet rerum ordo uſque ad extremum. Nam ea, quae ſupra ordinem, in unum colliguntur, deſcendentes poſtea diſperguntur, ubi aliae animae aliis Numinibus ordinantur. Sunt etiam multa animalia ſolaria, veluti Leones, & Galli participes, ex eorum natura, cuiuſdam ſolaris Numinis. Eſt vero mirandum, quantum res inferiores in eodem ordine cedant ſuperioribus, quamvis & viribus, & magnitudine eas praecedant. Ideoque videmus Gallum a Leone timeri, & quaſi venerari, quod nulla alia ex cauſſa

provenit, niſi quod praeſentia virtutis ſolaris magis convenit Gallo, quam Leoni, quod ex eo cognoſci poteſt, quod Gallus quibuſdam laudibus, & cantibus fere applaudat ſurgentem Solem, & invocat, cum ex Antipodibus revertens medium caeli iam tranſiens hemiſphaerium noſtrum verſus ſuos equos movet. Aliquandoque quidam ſolares Angeli, his formis, quamvis informes ſint, oſtendunt ſe, aliquandoque Daemones ſolares leonina fronte apparentes, oſtenſo illis Gallo, illico evaneſcebant. Quod eveniebat, ut iam diximus, quod res interiores in eodem ordine ſuperiores referunt. Et ut ſummatim dicam, aliqua moventur motu Solis, veluti plantae, quas diximus. Aliqua imitantur figuram ſolarium radiorum, veluti Palma, & Dactylus; alia igneam Solis naturam, veluti Laurus; alia aliam quamdam qualitatem. Quare ex hoc videre poſſumus virtutes, quae ſunt in Sole unitae, qui in ordine primus eſt, eſſe tributas ſeparatim in ſequentia conſtituta in ordine ſolari,

lari, id eſt Angelos, Daemones, Animas, Animantia, Plantas, & Petras. Hinc auctores veteris ſacerdotii ex rebus apparentibus reperere cultus ſuperiorum virium, & miſcentes multa in unum, quod viderent ſimplices habere aliquam Numinis proprietatem, cum tamen nulla ſeparatim poſſet trahere Numen illius, huiuſmodi compoſitione trahebant ſupernos influxus, & quod ex multis rebus formatum erat, referebat id, quod ſupra multa erat, & ita formabant Statuas multarum materierum, una miſtas eiuſdem ordinis. In quibus haud difficile erat inducere Daemones ſolares, ſi ex ſolaribus rebus fabricatae eſſent, & ita Daemones lunares, ioviales, ſaturnios, & aliorum planetarum in Statuis ex lunaribus, iovialibus, & ſaturniis, & ex aliis planetarum rebus formatis. Huiuſmodi creduntur fuiſſe Statuae Telchinorum producentes pluvias, tonitrua, ventos, & alios effectus. Pariter Statua Daedali, Promethaei, & Columba Archytae Tarentini, quae ſcribitur

vo-

volaſſe. Polemon narrat, in Chio Bacchi Statuam ligatam eſſe, ut inde non diſcederet, & ita caput aereum a Magno Alberto factum, quod dicitur loquutum fuiſſe. Huiuſmodi & fuit forſan Statua nigra Memnonis ex ſaxo Aethiopico facta, quae ſalutabat ſurgentem Auroram, voce laetitiam oſtendens ad eius adventum, & diſcedente die, lugubres notas proiiciebat, dolorem ſignificans ob diſceſſum; eoque loco ſita erat, ut Echo eas voces duplicaret. Haec Statua Thebis in Aegypto poſita fuit a Rege Cambyſe, capite ad cinctum uſque truncato, reliqua parte ſedens, & cum Sol oriebatur, referebat fere ſonum ruptae chordae fidis. De hac loquitur Iuvenalis Satyra decima quinta dicens:

*Dimidio magicae reſonant ubi Memnone chordae.*

Praeter has erat quaedam ars, quae vaporibus, neſcio quibus, igne ſubtus accommodatis influxus ſtellarum faciebat, ut in aere ſtatim viderentur imagines Deorum, Deis fere ſimilium, & habentes aliquam ſimilem vim.

vim. Et hoc eſt, quod memini me apud fide dignos Scriptores legiſſe de Statuis.

Dicamus aliquid de Daemonibus. Hoc nomen Daemon ab antiquis dignum exiſtimatum fuit, quod Deis attribueretur, & Plato vocabat Daemonem univerſi opificem, & Homerus cum dixit Daemones, nihil aliud ſignificat, niſi Deos. Daemonum cognitio primum patefacta fuit a Zoroaſtro, ſive Orpheo, ſive a Phrygiis, qui voluerunt tres eſſe ordines naturarum rationabilium, ideſt Deos, Daemones, Homines. Heſiodus quatuor fecit addens Heroas, & dicit eos homines, qui fuerunt Saturni tempore in aurea aetate, poſt mortem ex voluntate Iovis factos Daemones bonos terrenos, cuſtodes hominum circumdatos eſſe aere undique, & obſervare opera iuſta, & iniuſta; donantes divitias mortalibus. Habuere Daemones ex quorumdam ſententia ſubſtantiam a prima idea vivifica, & inde ceu ex fonte procedentes eſſentiam animalem, & hanc eſſentiam magis intellectualem habent ii, qui

qui ſunt maioris ſubſtantiae, & magis perfecti, minus intellectualem, & magis rationalem illi, qui medium tenent. Tertii, & poſtremi habent naturam variam, & magis rationabilem, & materialem. Cum ſint igitur ſubſtantia diviſi, ſunt miniſterio Deorum quoque diverſe tributi. Namque alio modo ſerviunt Deis, qui ante mundum omnibus rebus principium dedere, & eas vident: alio modo Deis mundanis, qui praeſident mundi partibus, tributi ſecundum duodecim Deos ſupercaeleſtes, & ſecundum proprietatem horum Deorum mundanorum tributi ſunt Daemones; Quamvis fuerint quidam Scriptores, qui voluere Deos ſupracaeleſtes eſſe illos, quos nos vocamus Angelos, ab ipſis dictos filios Dei, praeſidentes alicui caeli regioni, & quibuſdam ſtellis, quibus tributa eſſet maxima vis. Deos mundanos, vel caeleſtes intelligebant planetas, vel ſtellas, quas dicebant eſſe Deos, vel formas Deorum. Iuxta hanc ſententiam dixit Ovidius lib. 1. Metamorphoſ:

*Stel-*

*Stellas tenere caeleſte ſolum, & formas Deorum.*

Sub his ſunt Daemones non confuſi, verum diſtincti per tot ordines, quot ſunt ſtellae in caelo; quod ſub quolibet planeta, vel ſtella eſt ordo Daemonum, id eſt ſub Saturno Saturnii Daemones, ſub Iove Iovii, ſub Luna Lunares, accipientes a ſuis ſtellis earum proprietatem, & dantes rebus mortalibus divinos influxus. Legimus prope Mare rubrum fuiſſe hominem, omnium, quotcumque fuerint umquam, pulcherrimum, ita corpore firmo, ut nullam invaletudinem ſenſiſſet, quique ſemel tantum in menſe comederet, cibuſque ipſius eſſet ex neſcio qua herba, uteretur variis linguis, & cum loqueretur, tota ea regio adimpleretur ſuaviſſimo odore, qui ab eius ore ſpirabat: & habebat ſcientiarum omnium cognitionem, & omnium hiſtoriarum, omnium regionum, & omnium aetatum. Is inter alia de Daemonibus loquens, aiebat, nos, ſi Daemones vocamus iis nominibus, qui Deis ſunt attri-

attributi, nil mirandum eſſe, ſi ipſis rem gratam facimus; nam ab eo Deo, cui quilibet eorum coordinatus eſt, & a quo ſumit potentiam, & honorem, ei placet nomen comparare, veluti ex antiquis aliquis vocabatur Apollonius, alius Iovius, alius Palladius, alius Dionyſius. Non multum diſtantes ab hac diſtinctione Theologi ſacri faciunt differentias inter caeleſtes ſubſtantias, nam, ut ſcribit S. Dionyſius, eae ſunt in tres ordines diviſae, quorum quilibet in ſe tres continet. Ternarius primus eſt ex ſanctiſſimis Thronis, oculatis Cherubinis, & pennatis Seraphinis, qui ſemper Deo aſſident, & nihil medium eſt. Ternarius ſecundus eſt Poteſtatum, Dominationum, & Virtutum. Tertius Angelorum, Archangelorum, & Principatuum. Eaeque omnes intellectuales naturae ex nihilo a Deo creatae fuere, ut etiam dicit D. Auguſt. de Fide ad Petrum, & Damaſcenus, qui dicit ſolum Deum ſcire, an illae ſint aequales ſecundum ſubſtantiam, an potius differentes. Verum

omnes

omnes Theologi conſentiunt, ſuperiores Angelos, & Deo proximiores maiorem divini luminis partem habere, quam inferiores. Sed, ut ad prima redeamus, quidam perſuadere conati ſunt Daemones factos ex humanis animis, Heſiodi auctoritate, & dicunt, ut videmus corporum mutationes fieri, ita & de animis pariter debere nos opinari. Namque veluti ex terra fit aqua, ex aqua aer, ex aere ignis ſubſtantia ſaliente; eadem ex hominibus in Heroēs, ex Heroibus in Daemones meliores animae mutantur, & ex Daemonibus paucae, & longo tempore virtute perfecte redditae purae, fiunt participes divinitatis. Plato in Cratylo vult hominem bonum eſſe in vita, & poſt mortem Daemonem, id eſt prudentem, & felicem ex vocabuli ſignificatione. Sed in Politicis facit humanam animam diverſam a Daemone, cum dicit animam tyranni truncari a Daemonibus ultoribus. Hi Daemones, quiqui ſint, erant Dii Gentilium, ideoque cum legimus in Homero, & aliis Poetis tot

eorum

eorum facta, cogitare oportet fuiſſe Daemones, & eorum opera facta eſſe quaecumque leguntur de auguriis, ſomniis, portentis, monſtris, vaticiniis, interpretationibus rerum occultarum, praedictionibus rerum aliquarum futurarum, & de aliis multis huiuſmodi, vel his ſimilibus, quae qui omnia narrare vellet, pari modo id efficere poſſet, ac numerare arenas Libyci maris, tamen ea omnia ſi tacerem, viderer non prorſus penſum abſolvere. Et hac de cauſſa ex infinitis aliqua, quae mihi obviam fiunt, modo narrare volo. Legimus Hannibalem poſt excidium nimium fidelis Sagunti, vidiſſe in ſomnio Iovem eum in Concilium Deorum vocare, quo cum veniſſet, a Iove fuit ei praeceptum, ut bellum Italiae inferret, deditque ei ducem unum ex Conſiſtorio, quem videbatur ei ſequi cum exercitu proficiſcenti, & ab eo ei praecipi, ne aliquo modo retro ſe volveret. Ille primum timens neque retro, neque in gyrum ſe movens ducem ſequebatur, poſtea, ut eſt humani moris, cupidus ſciendi,

quod veritum ipſi foret, non potuit oculos cohibere, ecceque magnam, & terribilem feram à ſerpentibus undique ſeptam, quocumque ille proficiſcebatur, illum ſequi, arbores proiiciens, & virgulta, & aedificia ruens. Hoc miratus Hannibal, quaeſivit ab eo iuvene, quid hoc eſſet: cui ille reſpondit, eſſe id exitium Italiae, quod ab ipſo profecturum erat (a). Hoc ſomnium credendum eſt, ſi praedictas opiniones ſequi volumus, miſſum fuiſſe a Daemone Ioviali. Ptolemaeus, qui primus Macedonum Aegypti regnum poſſedit, cum novae Alexandrinae civitati moenia adderet, templa, & religiones, vidit in ſomniis pulchrum, & venuſtum adoleſcentem, maiorem omni humana Statua, qui ei praecipiebat, ut aliquos ex ſuis magis fidis amicis in Pontum mitteret, & inde ad ſe ferendam curaret ſuam imaginem, fore hoc & laetum, & proficuum

(a) *Somnium hoc paullo aliter refertur a Valerio Maximo lib. I. cap. VII.*, *ubi* de Somniis, *inter extera exempla. Conferat*, *cui vel vacat*, *vel lubet.*

cuum ſuo regno, eumque locum, qui hanc Statuam exciperet, magnum futurum, & fama perſpicuum. Hoc dicto, magno comitatus igne in Caelum aſcendit. Rex terribili ſomno perterritus ad ſe vocavit Aegyptios Sacerdotes, & iis nocturnum viſum patefecit, qui cum neſcirent, quid reſponderent, multis ſuper hoc dictis, ut mos eſt, tandem unus dictus Soſibius, homo, qui multas regiones viſerat, vel (ſecundum alios Scriptores) Timotheus Athenienſis, dixit huiuſmodi Statuam, qualem aiebat Rex fuiſſe adoleſcentis effigiem, inveniri in Ponto in civitate Sinopis dicatam Plutoni. Ptolemaeus, hoc relicto, & ad alia animum adiungens alia cogitabat, cum iterum idem ei ſomnium apparuit, multo horribilius, minans exitium ipſi, & regno, niſi exploret, quod ei praeceperat. Tunc Rex miſit Sotelem, & Dionyſium Oratores ad Regem Scydrotemidem, qui tunc temporis dominabatur in Sinope, a quo variis cauſſis, & multis fictionibus Oratores detenti fuere tribus ipſis annis,

nis, quamvis Rex Ptolemaeus interim eum multis, & pretioſis donis donaret, & rogaret, ut Oratores remitteret una cum Statua optata. Cauſſa morae fuit, quod populi Sinopenſes nolebant permittere Numen eorum alio transferri. Tandem Rex cum ſtatuiſſet Ptolemaei voto ſatisfacere, Oratoribus dedit ſimulacrum; quamvis alii dicunt ipſos nocte quadam illud furatos, illudque, cum proximum navi eſſet, ſine ullo auxilio humano illam conſcendiſſe, rem certe dignam admiratione, tribus diebus ex Ponto perveniſſe in Alexandriam. Stratonice uxor Seleuci priuſquam a viro amanti privigno concederetur, vidit in ſomniis praecipi ſibi a Iunone, ut aedificaret ſibi templum in civitate Hierapolis, quod niſi faceret, minabatur multa, & magna mala. Primum cum ea hanc viſionem nihil faceret, a ſubita, eaque gravi infirmitate correpta fuit, quare conſcio marito facto, & ex eius conſenſu pollicita Deo parere ſtatim fuit aegritudine liberata. Sic ad priſtinam valetudinem reſtituta, &

a vi-

a viro Hierapolim miſſa multa pecunia, & honeſto comitatu, tum ut fabricaretur templum, tum ut uxor & tuta, & honeſta foret, ante eius diſceſſum vocavit ad ſe unum ex familiaribus adoleſcentem, & mirae pulchritudinis nomine Combabum, cui Rex dixit: Cum te, o Combabe, probum virum noverim ex omnibus proceribus, & familiaribus, amo te maxime, teque multum commendo, & ob tuam ſapientiam, & obſervantiam, quam mihi ſemper praeſtitiſti, nunc occaſio fert, ut fide tua mihi ſit utendum: volo igitur te comitem eſſe uxori meae, ut opus quoddam expleatur, & ſacrificia fiant, teque ducem eſſe totius familiae; reverſus ab hoc munere faciam, ut maximo tibi honori, & emolumento hoc tibi fuiſſe ſentias. His verbis dictis, Combabus admodum moeſtus Regem rogabat ſuppliciter, ut eum non mitteret, neque ſibi maiora ſe fideret, id eſt pecuniam, & uxorem, & ſacrarum aedium fabricationem. Hoc faciebat ipſe dubitans, ne Rex in futu-

rum aliquid mali ſuſpicaretur de eo ob Stratonicem, quae ſoli ſibi in cuſtodiam tradita eſſet. Verum cum videret nulla prece quidquam a ſe perfici, Regem oravit, ut ſaltem ſpatium octo dierum ſibi concederet, quo quibuſdam negotiis proſpicere poſſet, & poſtea eum mitteret; quod perlibenter a Seleuco illi conceſſum fuit. Domum igitur profectus, humique proſtratus plorans, ita dolebat: Me miſerum, quo me in hoc itinere fides mea adduxit, cuius exitum iam video; adoleſcens ſum, & adoleſcenti mulieri comes eſſe debeo, maxima haec mihi erit infelicitas, niſi omnem futuri mali cauſſam praecidere ſtatuam. Eſt igitur faciendum mihi aliquid ſummum, ut omni me timore ſolutum reddam. His dictis, virilia ſibi abſcidit, amputataque membra in parvo vaſe mirrha, & melle, & aliis rebus odoriferis collocavit, quod ſigno ſuo cum ſignaſſet ſolito, valetudinem curavit; poſtmodum cum ei viſum eſt, uti poſſe pedibus tute, ad Regem profectus, multis praeſentibus parvum

vum vas ei dedit dicens: Rex, hoc mihi pretioſi theſauri loco erat in domo mea, idque mirifico amore amabam, & cum ſim tam longum iter profecturus apud te collocare ſtatui; fac, Rex, ut mihi id cum fide ſervetur, gemmam multo cariorem aeſtimo, quam aurum omne, quod in terris ſit, ut reverſus poſſim integrum accipere. Rex, vaſe ſuſcepto, alio ſuo ſigillo ſignavit, eoque uni ex ſuis magis fidis dato imperavit, ut qua maxima poſſet fide cuſtodiret. His peractis, Regina, & univerſus comitatus Combabo duce iter ingreſſi, poſt aliquos dies ad civitatem Hierapolis pervenerunt, ibique ſummo ſtudio in templi aedificationem incumbebant, in cuius fabricatione antequam expleretur trium annorum ſpatium conſumptum fuit. Interim accidit id, quod Combabus timuerat. Stratonice frequenti conſuetudine cum Combabo coepit aliquem amoris ſtimulum experiri, inde eius amore inflammari, poſtea ad inſaniam uſque flagrabat. Cuius rei cauſſam fuiſſe dicunt Deam

Iunonem, quae nolebat, cum Combabus eſſet bene moratus, celari, quod feciſſet, ut fidelis erga Regem eſſet, & Stratonicen hoc modo puniri, quod non ſubito divino praecepto obſecuta eſſet. Illa igitur primum modeſte occultam retinebat aeſtuantem ignem, ſed malo ſilentium ſuperante aperte dolebat, diemque lugebat amoris, atque Combabum vocabat, cum ipſi Combabus pro omnibus eſſet. Tandem non potens amori amplius reſiſtere, quaerebat quomodo eum honeſte ipſi poſſet patefacere. Namque neque alicui manifeſtum facere fidebat, & ſola Combabo declamare non audebat. Cum igitur varia animo volveret, tandem hoc ſtatuit, ut cum multum vini bibiſſet alloqueretur Combabum, vino etenim ſermonis libertatem concedi, & repulſam tunc temporis non prorſus non convenire; nam quidquid ex eo procedat ignorantiae tribui ſolet. Ita igitur faciens, & ad genua eius proſtrata, amorem ſuum narravit rogans, ut aliquam ſui miſerationem haberet. Verum

rum ille Reginam loquentem audiens minime libenter monebat, ut deſiſteret ab hac prava cogitatione, vinum obiiciens. Tandem cum videret eam in propoſito manere, minarique, ſi ille id negaret, fore, ut in ſemetipſam aliquod magnum malum optaretur, timens, ne id eveniret, narrato quidquid ante diſceſſum feciſſet, ut id eſſe revera crederet fecit, ut ea videret. Stratonice, viſo, quod neque cogitaſſet, neque voluiſſet umquam, ita furorem cohibuit, (non tamen amoris oblita, verum priſtina eius conſuetudine continuo uſa eſt) ut tamen ex amore imperfecto ſolatium caperet. Qui amor inter Reginam, & Combabum, cum ad Regis aures per multos allatus eſſet, qui ad Hierapolis civitatem proficiſcebantur, ille animo ſummopere motus Combabum ab imperfecto opere domum revocavit, qui cum revocationis praeceptum accepiſſet, laetus reverſus eſt, cum domi reliquiſſet, quod ſatis eſſet ad ſui defenſio-

ſenſionem. Combabus reverſus illico Regis iuſſu capitur, ligatur, & in carcerem traditur. Inde cum Rex cum multis proceribus, & aulicis eſſet, qui aderant, cum Rex Combabo Reginam cuſtodiendam, & regendam, eaque omnia, quae ad eam profectionem pertinebant, dederat, iuſſit, ut ad ſe duceretur, eoque increpato, obiiciens factum eſſe adulterum, & impudicum, fidem datam conquerens, amicitiamque violatam, dicebat tria ab ipſo eſſe peccata, cum factus eſſet adulter, fidei violator, & impius erga Deum, in cuius miniſterio haec perpetraſſet facinora. Multi ex iis, qui aderant, teſtabantur vidiſſe ambos laſcive admodum una eſſe, tandem ad eam ſententiam omnes convenere, ut Combabus ſupplicio afficeretur veluti homo, qui morte digna commiſiſſet. Ille tunc temporis ſtabat nil dicens, verum cum vidit ſe duci ad mortem, loqui coepit theſaurum ſuum petens, dicenſque Regem in eum ſaevire, non quod ali-

aliquid mali a ſe commiſſum eſſet, neque quod iniuriam aliquam ipſi intuliſſet, ſed quod cuperet ſua facere, quae apud eum in diſceſſu cuſtodienda reliquerat. Rex, hoc audito, ſtatim ad ſe eum vocavit, cui Combabi vas dederat, eoque ad ſe allato, Combabo mandavit, ut id aperiret, quod cum ille feciſſet, viderunt omnes, quae in eo celabantur, ipſeque oſtendit contra, quod paſſus eſſet, dicens: Rex, cum tu mihi iniunxiſſes, ut ad hoc iter me accingerem, taliaque, qualia evenere, timerem, invitus proficiſcebar, ſed coactus, hoc, quod vides, ut ſervus domino fidus feci, rem tibi bonam, mihi infelicem, cumque ſim, qualis ſum, tamquam iniuſtus, & iniquus homo damnor. Seleucus haec ſummopere miratus, brachia collo iniecit, & flens dicebat, male ipſum feciſſe, quod ſolus ex omnibus hominibus tam ſaevus in ſe fuerit, quae nec illum pati, nec ſe videre decebat, ſed cum ita iniqua ſors voluerit, pri-

primum velle iniquos accuſatores morte mulctari, illumque multis, & pretioſis donis remunerari, auro, & argento multo donatum, Aſſyriis veſtibus, & regiis equis. Quotieſcumque Combabus vellet ad ſe venire, neminem illi clauſurum oſtium, vel ſi cum uxore iaceret. Haec dixit Rex, & ingenui Combabi fidem omnibus notam fecit. Legitur de Attio Navio, ipſum, cum aetate puerili eſſet, obſcuro loco natum paſcere ſolitum ſues, quorum unum amiſit, quare votum vovit, ſi reperiſſet, donaturum ſe Deo uvam, quae maior eſſet in horto: Porcum reperit, verſuſque ad meridiem in medio horto eum in quatuor partes diviſit, quarum cum tres avibus coopertae eſſent, in quarta, quae in diviſione reliqua erat, reperta eſt uva mirae magnitudinis. Quod cum in iis regionibus palam factum eſſet, propinqui omnes ad eum concurrebant conſilii cauſſa. Fuit id tanto ei nomini, & gloriae, ut Tarquinius

nius Rex Romanorum eum ad ſe vocaret, ciuſque ſcientiam experiri volens dixit: Eſt mihi neſcio quid in animo, quod faciam, vide tu proinde tua arte, an poſſibile ſit per me id fieri. Ipſe, conſultis avibus, viſoque, quid ſignificarent, reſpondit poſſe fieri. Cui Rex, vide, dicit, quo in errore verſeris hac tua arte; volebam ego excidere ſaxum novacula, danſque cotem, & novaculam dixit, cape, & fac, quod aves tibi poſſe fieri nuntiant. Dicunt Scriptores eum utráque re, Rege praeſente, accepta, facile novacula ſaxum abſcidiſſe. Narrat M. Varro in Trallenſi civitate, cum quaereretur, quis eſſet futurus exitus belli, quod per multos annos geſſit Magnus Mithridates cum populo Romano, populum repertum eſſe, qui, Mercurii ſimulacro in aquis viſo, praedixit omnia futura eius belli centum ſexaginta verſibus. Quid dicam de Caelo pluiſſe ſanguinem, carnem, lac, lanam,

in

in aere viſas turmas ordinatas bella gerere, & alia multa portenta? Certe non eſt credendum alios, quam Daemones, fuiſſe auctores.



SYLLO-

# *SYLLOGE EPISTOLARUM*
# VARIORUM SCRIPTORUM

*NIMIRUM*

Franciſci Petrarchae, Nicolai Eſtenſis,
Baſinii Parmenſis, Leonardi Arretini,
Antonii Auguſtinii, & Latini
Latinii

QUAE EX DIVERSIS MSS. CODD.

*NUNC PRIMUM PRODEUNT.*

# IOH. BAPTISTAE MONTECATINO
## PATRITIO LUCENSI NOBILISSIMO
## I. L. B.

*NIsi Bottinius Praeſul noſter ampliſſimus, Civiſque tuus generoſiſſimus certiorem ſaepe me feciſſet, te a moleſta aegrituline tandem penitus convaluiſſe, anceps hactenus inter ſpem, timoremque, MONTECATINE dulciſſime, de tam caro capite fluctuarem. Tanto adhuc tempore me litteris tuis carere inhumaniter voluiſti, ut de tua in me benevolentia, ac voluntate quaſi dubitaſſem, niſi prius innumerabilibus argumentis ipſam confirmaſſes, omnemque ſcrupulum ex animo noſtro exemiſſes. Liceat ergo mihi te publice laceſſere, & quaſi excutere, atque quoniam litterae ad te meae ſatis non fuerunt, ut diuturnum nimis, moleſtiſſimumque ſilentium abrumperes, alienas, & quidem ab hominibus doctiſſimis exaratas experiamur. Haec igitur Epiſtolarum Sylloge tua ſit, ac nomine tuo, Apollini Muſiſque caro, inſignita in Anecdotis noſtris prodeat, eoque libentius, quod aliquot novas, quae tuam diligentiam effugerunt, Epiſtolas profert Antonii Auguſtini Epiſcopi doctiſſimi, ad cuius opera ornanda, ac typis edenda tanto cum nitore, & elegantia in Republica tua, praeteritis annis adlaboraſti. Auguſtinianas Epiſtolas una cum duabus Latini Latinii ad Auguſtinum, quas fruſtra exquiras etiam in Latinii ipſius Operum Voluminibus duobus, quae Romae edidit ann. CIↃIↃCLIX.*

*Dominicus Magrius Melitenſis, Viterbienſis Eccleſiae Canonicus Theologus, ex Vaticano Codice excerptas nobis liberaliter communicavit Petrus Franciſcus Foginius Theologus eruditiſſimus, quem honoris cauſſa nominamus. Hiſce attamen praecedet Epiſtola Franciſci Petrarchae ad Marchionem Nicolaum Eſtenſem, ipſiuſque Marchionis reſponſio, quas utpote nondum editas, aliquot ab hinc annis ex ditiſſima Lipſienſis urbis Bibliotheca egomet exſcripſi, celeberrimo dictante Muſcovio. Baſinii Parmenſis Poetae leges hic etiam Epiſtolam ad neſcio quem Robertum Ariminenſem, fortaſſe ad Robertum Urſium Iuriſconſultum, ac Poetam, qua acerrime Porcellium Graecarum litterarum expertem Baſinius perſtringit, immo pungit, ac mordet. Quae de hac Epiſtola praefatus eſt, quaſque adnotationes eidem appoſuit Hieronymus Ferrius Polybiſtor celeberrimus, lectionem tuam, ſuffragiumque merentur. Epiſtolam Leonardi Arretini Florentinae Reipublicae nomine ad Venetorum Ducem benigne nobis ex ſuo Ms. Codice excerptam conceſſit Cortonenſis Patricius Reginaldus Sellarius, cuius doctrinam, eruditionemque ſola humanitas ſuperat. Haec deſideratur ſiquidem in poſtrema Florentina Leonardi noſtri Epiſtolarum editione, quam anno CIↃIↃCCXLI. peractam noſti. Verum quid plura tibi homini doctiſſimo, totiuſque litterariae hiſtoriae peritiſſimo? Vale igitur, tecumque valeat Nicolaus frater Reipublicae veſtrae decus, eiuſque uxor Catharina Lucenſium Matronarum, ac familiae Montecatinae, Bonviſiaeque ſingulare ornamentum, & honor.*

*Dabam Romae XII. Kal. Decembrias CIↃIↃCCLXXIII.*

I.

## I.

## *EPISTOLA*
## DOMINI FRANCISCI PETRARCHAE
### FLORENTINI POETAE

*In qua improperat fortunae, propter obitum amicorum.*

HEU mihi duro, & nimium vivaci! En ego infelix, & ſiniſtro natus ſidere in hac miſera, ac fugaci vita tamdiu ideo reſervatus ſum, ut laetum, ac dulce nihil ſentiam. Triſtia, & amara eventu perpatior. Ad haec ſolum vivo, ut quotidie dominorum, quotidie amicorum mortes audiam, utque ait Sathirius, multis in luctibus, atque perpetuo moerore, & nigra veſte ſeneſcam. Per omnem vitam flendo fatigatus nullius hominis deinceps mortem flere decreveram, idque profeſſioni meae debitum, & aetati rebar. Sed nimis ad vivum tangit dolor. Heu, mi Domine, amiſimus,

imo praemiſimus, vos fratrem amantiſſimum, atque optimum, ego dominum mitiſſimum, qui nullis omnino ex meritis meis, ſed ſola nobilitate animi me ut noſcere, ſic amare dudum coeperat, nec tantum amare, ſed colere, ut ego ipſe & gauderem vehementiſſime, ac mirarer non minus, unde illa tanta dilectio, tantaque veneratio in tanta ſtatus, atque aetatis imparitate. Solet enim aetas illa hanc fugere, vel horreſcere, ille vero, non ita memini, nec umquam obliviſcar, nec obliviſci debeo, ut hoc ipſo anno dum Romam petens caſu illo terribili retardatus apud vos, quo me ſors mea in haec ſaltem pluenta detulerat, qui mei curam, non quaſi alienigenae parvi hominis, ſed ut magni cuiuſpiam viri veſtro de ſanguine, ſuſcepiſtis, dura, & gravi, &, ut publice creditum fuit, ultima aegritudine laborantem. Quibus ſermonibus, qua pietate, quo vultu per ſingulos dies ter, ac quater ad me viſendum illa felix, & benedicta anima veniebat, quas

mihi

mihi aſſidue conſolationes, quas oblectationes, quae lenimenta doloris afferebat, voce illa humili, ac benigna, ut prae gaudio, & ſuae admiratione virtutis meum ipſum incommodum vix ſentirem. Sileo e longinquo ſalutationes amiciſſimas, ſileo nuncios cum muneribus, & munus omne vincentibus ſuaviſſimis, & honorificentiſſimis litteris ad me miſſis, quod eſt ſummum, ſileo floridum adoleſcentem moribundo ſic aſtare ſeniculo. Heu mihi non credebam, nec credibile erat, ipſum ante me mori debere, nec accidere potuiſſet, ſi quis eſſet ordo rerum humanus. Accidit autem, quia hic ordo nullus eſt, nulla ſtabilis, ac certa iucunditas, ſed confuſio, & labor, ac dolor, & gemitus, a quibus nulla altitudo, nulla ſublimitas ſe abſcondit. Damnum quidem veſtrum, noſtrumque omnium, qui vos, illumque dileximus, neque diſſimile; nam vobis immineo. Magnumque profecto, rarumque, & eximium vitae decus, ac ſolatium ad tempus amiſimus, quod non flere

etiam ad tempus, & deſiderare non poſſumus. Sunt tamen & magnis inventa remedia, de quibus agere non brevis epiſtolae, ſed libri materia ſit ingentis. Unum hoc pro temporis brevitate ſufficiat. Siquidem pro nobis dolemus, occurrit Ciceronianum illud: *Suis incommodis graviter angi, non amicum, ſed ſe ipſum amantis eſt.* Si autem propter illum non fruſtra eſt, non ſolum quia irreparabilis eſt eventus, ſed etiam quia fauſtus utique eſt. Audebo enim dicere, quod unum credo, quia fratri veſtro nihil mali, imo multum boni acciderit. Omnes enim oculi mei illum anxie requirunt, illi tamen procul dubio bene eſt, cui nobilis animus, cui mitis, & innocens vita fuit, ut ſperari de eo aliud non poſſit. Nunc ille, qui oculis hominum mori viſus eſt, imo nunc vivere incipit. Haec enim, ut ſapientibus placet, quae dicitur vita, mors eſt. Vivit, inquam, & cum Creatore ſuo, cumque Angelis, ac Beatis, Sanctorum omnium ſpiritibus laetum habet, & tranquillum

quillum eventum, ereptus mundi periculis, & luſibus fortunae, neque ſi reditus pateret, reverti vellet. Gaudet enim permutaſſe cum requie laborem, cum ſecuritate formidinem, cum felicitate miſeriam. Nam licet tum imbecillis erat, felix videtur, verumtamen hic nemo felix, ut Deo viſum eſt. Felix ergo ille, nos miſeri, dum hic ſumus. *Quocirca moerere hoc eius eventu, vereor*, ut apud Ciceronem ait Laelius, *ne invidi magis, quam amici ſit*. Et ille quidem nunc, ut mea fert opinio, recordatur veſtri, ſuorumque omnium. In quibus quia ita ſibi placuit, ego me numero. Sed in primis talem, tantumque germanum, quem ſemper vivens dilexit, eo nunc amat ardentius, quo aeterno propinquior eſt amori. Non ſumus enim, Deo gratias, de illorum grege, qui putant animas cum corporibus interire. In noſtra igitur, & amicorum morte immortales animae, & reſurrectio corporum nos ſolantur; quarum prima conſolatio Philoſophis fuit, altera nobis eſt ſolis, de quibus ſi in-

quietem, atque ardorem animi ſequi velim, longus ero, ſed non poſſum, quia vires mihi corporeae nullae ſunt. Neque enim poſtquam a vobis diſceſſi, ullus mihi dies ſine morbis, & languoribus actus eſt; itaque vix hoc ſcripſi. Confido autem de ſapientia, ac magnitudine animi veſtri, quod & hunc caſum, quo nullus iam nobis acerbior evenire poteſt, & humana omnia invicta mente tolerabitis, & ingentem ſenſibus triſtitiam lenientes inſita virtute voluntatem veſtram in omnibus divinae conformabitis voluntati, & cogitabitis caeleſtem providentiam, a qua tam multa, & tam grandia recepiſtis, vobis hoc nunc, licet amarum guſtu, bonum tamen, & conſideratis mundi malis, ſalutiferum forſan, & optabile tribuiſſe. Hoc vobis manu tremula, humentibuſque oculis ſcripſi, cum hac ipſa hora ad me rumor moeſtiſſimus ſuperveniſſet, ita ego aeger, triſtis, deſolatus ſolari alios nitor. Proinde ſutandae ſunt lacrimae, comprimenda ſuſpiria, calcandus dolor. Hoc excellen-

tiam

tiam veſtram decet, quae ſi vera eſt, nihil illi arduum videri debet. Poſiti eſtis in altum, o Principes, ac terrarum Domini, ut exemplo aliis ſitis. Vos oculi omnium intuentur, omnes aures audiunt, omnes linguae de vobis loquuntur, omnes actus veſtri, & verba penſantur. Enitendum ſummo vobis eſt ſtudio, ut nihil plebeium ſentiatis, nihil vulgare loquamini, ſed magnifica, omnia, & excelſa. Nec vos ullis impulſibus fortuna deiiciat, nec inclinet quidem, quae in vos, quo maiores eſtis, eo ſaepe maiori accingitur apparatu. Fruſtra hoc inter homines faſtigium poſſidetis, niſi ſereniores, & alacriores ceteris hominibus animos habeatis. Laborioſum fateor, ſed vera gloria, & magnus honor ſine magno labore non acquiritur. Hic loquendi ultimum, & dolendi finem facio, ſperans vos, quod poſcitur, ſponte facturos, utque ita ſit, affiſus ego, & omnes, qui veſtrum nomen diligimus, obſervamus. Chriſtus omnipotens vos ſoletur, & conſervet in gratia ſua,

ſua. Scripta Arquadae quinto Auguſti, mane.

Devotus veſter Franciſcus Petrarcha cum recommendatione.

## II.

## *RESPONSIO*

## MARCHIONIS NICOLAI ESTENSIS

AD LITTERAS SUPERIORES

*Scripta per Antonium Rovenium de Parma eius Cancellarium.*

ANxia mens variis emixta doloribus ob caſum miſerabilem dilectiſſimi fratris noſtri litteris veſtris eſt in talibus lenita doloribus, ut difficile exiſtimemus, potuiſſe ſic aliunde ſolari, quibus vulnus apertum medicamine veſtrae benignitatis potiſſime ſolidatur. Et quamquam diſpoſita eſſent paullatim refrigeria auctoritate flebili cordi noſtro, praevalebunt ſaepe fraternae compaſſionis anguſtiae, adeoque abdicatis conſolationibus quibuſcumque, inſidias percutientis

tientis aculei vix valuimus ſufferre. Et nimirum, prout diſtinctio veſtra novit, ſupervenit tandem ſalutaris epiſtola, in qua ſpeculamur, & legimus ſcripta veſtra, & affectionem praecipuam, quam ad noſtrum fratrem ſemper habuiſtis. Inſpicimus perſonae veſtrae avidum, & de fama veſtri nominis philocaptum. Tandem veſtris volentes hortationibus adhaerere, Deo gratias referimus, qui pro libito aufert, quod tribuit, & ſic eius acquieſcimus voluntati; hic parentes, fratreſque praemiſit, & nos recipiet, cum placebit. Veſtrarum paſſionum, quas ſic continuatas aſſeritis, in noſtris viſceribus ſuſcipientes taedium, & gravamen, & quamvis luctu ſit animus noſter oppreſſus, non propterea omittere volumus vos hortari, ut dies veſtros ex diverſitatibus occurrentium minuere non velitis, ſed vitam incolumem reſervare, iucundam toti mundo.

Nicolaus Eſtenſis Marchio.

III.

## III.

# BASINIUS PARMENSIS

### ROBERTO (a) ARIMINENSI

### SAL. D. PLURIMAM.

GRatiſſimae mihi tuae fuerunt litterae; quibus a me maiorem in modum petebas, ut quaenam diſſenſionum inter me, & veſanum illum Poetam fugiendum Porcellium, vel potius porcum cauſſa fuiſſet, tibi ſignificarem. Paucis igitur verbis rem omnem a principio enarrabimus. Porcellius apud

(a) *Robertus, ad quem Epiſtola, Urſius ſine dubio, Iureconſultus, Poeta, & Hiſtoricus, quando de Valturio, ſive Vulturio ſuſpicari non poſſumus, quo in primis agente, Porcellius locum dicitur apud Sigiſmundum obtinuiſſe. Multa Urſii circumferuntur carmina tum edita, tum manuſcripta, in quibus ſi non excellit, naturam ſatis idoneam ad Poeſim praeſeſert. Elegantior in Commentario, quod de obſidione Tiphernatum ſcripſit, cui non ſolum interfuit, ſed praefuit nomine Praetorio. Exiit primum an.* MDXXXVIII. *Iterum Mannii viri laborioſi, ac eruditi opera, II. in Volumine, quo rerum Italicarum Scriptores ſupplentur.*

apud (a) Regem meum meo, & Valturii (b) favore locum tandem obtinuit, ibique puerilia quaedam, & cenſura gravi digniſſima ſcriptitavit; quae cum ego bis, & ter emendaſſem, non divino, nec quo Poetae ſolent, ſed veriſſimo furore ad maxima exagita-

(a) *Eo ſaeculi* XV., *&* XVI. *Scriptores, ſive aſſentationis, ſive nimiae Latinorum imitationis cauſſa venere, ut Divos, non modo Reges, Principes appellaverint ſuos. Quod primum impietatis aliquid ſapit; alterum a veritate abſonum, & alienum. Iſottaei Libri inſcriptionibus eiuſmodi pleni, quodque magis mirere, nummi non ſolum in honorem Malateſtii, & Iſottae, ſed templum ipſum ea ſuperſtitione conſpurcatum.* D. MALATESTAE *pluribus in locis*, D. ISOTTAE SACRVM *legimus in tumulo. Ita Ferrariae in Turre marmorea ad Aedis maximae ſane pulcherrimae, neque parem habitura, ſi ad faſtigium ducta*: DIVO. HERCVLE. SECVND. IMPERANTE. *Haec, aliaque id genus ſuperſtitioſa illuc, unde malum pedem tulerant, abiere, cavendumque, ne temporum calamitate umquam referant.*

(b) *De Valturio ſatis erit afferre Epigramma, quod in tumulo inciſum:*

D. O. M. QVE
ROBERTI. VALTVRII. QVI. DE. RE. MILITARI. XII. LIBRIS. AD. SIGISMVNDVM
PAN. MAL. ACCVRATISSIME. SCRIPSIT. ROBERTO. MAL. FILIO
COMITATE. INSIGNI. FACVNDIA. ATQVE. FIDE. CHARVS. EXTITIT. PANDVLFVS. MAL
ROBERTI. F. SIGIS. NEPOS. ADHVC. IMPVBES. OFFICII. MEMOR. HOC. MONVMENTO
B. M. OSSA. CONDI. IVSSIT. VIX. AN. LXX. M. VI. D. XVI

gitatus eſt iurgia ; quippe qui graecum me ignorare , & latinum inculcare omnibus in locis praedicaret , cum laniis , cum coquis , cum fartoribus , cum laenonibus , quorum domi maximam habet copiam , de me verba faceret . Non potui ulterius impudentiſſimam eius perferre audaciam ; itaque verſus eius malos , incompoſitos , ac male tornatos incudi eſſe reddendos publice , & *in* Siſmundea arce ei demonſtravi , quos verſus paullo poſt tibi referam : quam rem ille adeo aegre tulit ( quoniam magna inter molles concordia ) ut Senecae , ſive potius Secae (a) illi ſceleratiſſimo homini ſtrictiſſimo foedere ſe ſe coniungeret ; in meque coniuratione confeſtim facta ad Regem ( idque clam me ) uterque ſe contulit , ibique homini latino graecis non opus eſſe litteris perditiſſima confidentia praedicabant ; idque omne tempus , quod ego in his conſumpſiſſem , me omnino perdidiſſe clamitabant .

Quae

(a) *Iocum non intelligo . nec quid Seca ſit Latinis, nunquam didici . Quid ſi legamus* Sica ?

Quae cum ego accepiſſem, ambos una conveni : dixi me probaturum linguam latinam ſine graeca perfecte ſciri non poſſe : illi ſe defenſuros pollicentur. Scripſi verſus non multos, quibus facillime oſtendi ſine graecis latina perfecte ſciri non poſſe ; non ad propoſitum ullum, ſed ut fallaciis, ac dolo, quando doctrina, & virtute non poterant, contenderent, linguam latinam graecae anteponere conati ſunt ; quaſi ego graecam, quam latinam, laudaſſem magis, ac meos verſus non vidiſſent, in quibus hi ſunt. Haud equidem invideo noſtrae pulcherrima linguae verba, ſonoſque graves, numerumque, aut terſa latinus nomina, nec graecam cupio praeponere noſtrae : ſed ſine Graecorum auxilio Romana valere non multum ſemper docui, ſemperque docebo. Vides igitur, quid de latina dixerim lingua, cui me adverſarium eſſe dixerunt: quaſi ego Graecus homo, ac non Romanus eſſem, ideſt Parmenſis : quam civitatem fideliſſimam Romanorum coloniam fuiſſe, Cicero ipſe

ipſe ſcribit (a). Scripſerunt itaque in me ſatyras, ſed Seneca primo: deinde Porcellius. Senecae errores, quos in ſatyra fecit ſua, primum, poſtea Porcellii quamquam non omnia, ſed quaedam errata tibi referam. Ac primo quidem de Senecae erroribus dicendum videtur: quamquam profecto, ſi eius omnes errores perſcribere vellem, repetere opus mihi eſſet totam illam eius ſtercoream ſatyram. Primus eius verſus malus eſt hic: *Non opus aoniis, non uſus Apolline Delpho*; en qui ſe eſſe primum omnium gloriatur grammaticorum: qui Delpho dixit pro Delphico (b). O dementiſſimum Poe-

(a) *Parmenſium meminit Cicero in Philipp.* IV. *C.* III., *quos optimos viros, honeſtiſſimoſque homines maxima cum auctoritate Ordinis Senatorii, Populique Romani dignitate coniunctos ait. Parmam direptam ſcribit Pollio ad Fam. l.* X. *ep.*XXXIII. *Cicero memorat tamquam Reipublicae ſtudioſiſſimam l.* XII, *ep.* V. *Nihil vero de Colonia, quam ſcimus cum Mutina conſtitutam Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Coſs. an. ab U.C.* DIXXI. *M. Aemilio Lepido, T. Aebutio Caro, L. Quinctio Criſpino, III. Viris deducentibus.*

(b) *Eadem in voce peccatum a Scriptore non indiſerte memini me legiſſe. Sannazarius ſtat a Camerte, qui Elegia* II. *l.*II. *cecinit*:

Iamque Panhormitae luſus.

Nec

Poetam, o litterarum ignorantiſſimum grammaticum! Haeccine te docuerunt Romani illi, quos ſine Graecis latinas litteras intelligere poſſe putaſti? Alius verſus Senecae hic omnino mendoſiſſimus eſt: *aut lucos luſtrare alacres, dulcemque Panormi*. In hoc aperte oſtendit ſe ignorantiſſimum graecarum eſſe litterarum, qui Panormi brevi prima protulerit ſyllaba, cum omnino ea longa ſit. *Pan* enim ea gratia circumflectitur, quoniam ipſa longa eſt. Alius locus eſt in eius ſatyra, qui nullo tolerari poteſt pacto. Eſt autem hic: *cur vos pia turba cavete, ne nimium faciles ad inania vota ruatis. Cur*



*Nec aliter ſe habent verſus relati in vita Guielmi II. ſtilo candido, nitidoque ſcripta ab eruditiſſimo Antiſtite Montiſregalis Franciſco Teſta, quem nunc fatis abreptum dolemus, ad pag. 262. in animadverſionibus:*

Moenibus ipſa licet fuerim fundata Panormi,
Regalis Montis debita iura colo,

*qui verſus auctorem cenſent Antonium Vinitianium; quemadmodum coram ſignificavit Carolus Caſtellius, Vir & genere, & inſtituto, & doctrina nobiliſſimus. Quid plura? Veteres ita uſi ſunt prima Panormi ſyllaba:*

Tergemino venit numero ſecunda Panormus.

*Sil. lib. 14. v. 262.*

*cavete* enim non dicimus : *cur* enim dictio haec interrogative , aut infinite tantum ponitur ; quorum neutrum incertum cum ſit , imperativo modo certiſſimo iungi poteſt , quod fanaticus , ſceleratiſſimuſque ſenex ignoravit . Sunt alia per multa , quae coram tibi aliquando exponentur . Nunc ad Porcellii ſenis delirantiſſimi errata devenio ; quae quot ſint , quae Polymnia ſatis umquam explicare poſſit ? Non mihi ſi centum linguae ſint , oraque centum : pauca tamen pro tempore tibi referam . Primus Porcellii malus verſus eſt hic : *Baſilus* (a) *hanc hereſim*

(a) *De Baſinii praenomine haec fere ad nos Paciaudius , Vir eruditionis ſummae , Italo uſus ſermone , qui latino aeque potuiſſet . Venit in mentem mirari , Paullum Corteſium , qui aetate non multum abeſt a Baſinio , niſi forte aequalem volumus , in Dialogo de hominibus doctis* Iohannem *appellaſſe* (*p.* 36.) . *Qui de patriis rebus egerunt , Franciſcus Carpeſanius , Odoardus Herbius , Ranutius Pichius , poſtque eos quotquot Poetae mentionem fecerunt , eo umquam praenomine donarunt , ſed Baſinium* de Baſiniis , *ut tum barbare loquebantur , dixerunt . Primus , qui occurrat proprie Baſinium nominans , eſt Innocentius Baldius Bononienſis Carmelita in Oratione habita Parmae Comitiorum cauſſa an.* MDLXXXVII. , *qui litteram s ab re duplicaverit . Is de*

*reſim iacit , & mala ſemina primus . Hereſim* , quod verbum per *ae* diphthongon ſcribitur, brevi prima protulit ſyllaba . Hoc autem propter ignorantiam graecarum fecit litterarum . Peſſimus praeterea eſt hic verſus : *Ne videare igitur Romanae gentis , & artis ignarus , graecis miſce* (a) *latina ,*



*de Parmenſibus viris excellentibus agens* Baſſinium de Baſſiniis *appellat . Illud quoque magis mirandum Ioſiam Simlerium in Epitome Bibliothecae Geſnerianae tres inepte Baſinios fingere . Baſinium Poetam , Baſinium Parmenſem , Baſilium . Baſilius nonnullis in Codicibus dicitur , ſed perperam . Pace viri tanti , qui amice mecum multa alia communicavit de Baſinio , quibus utemur , ſi Deus ſinerit , in Aſtronomicorum libris illuſtrandis , ego crediderim Baſilium eſſe vere , quod Baſinium nomen praeiverit . Si enim ſecus fuiſſet , haud Baſinius inultum reliquiſſet , quique Porcellium Poetam minime contemnendum tam male habet , in ipſo praenomine errantem ſuo haud aequo animo tuliſſet . Verum alio die , uti aiebant Romani .*

(a) *Porcellius verſus dimenſus videtur non ad Latinorum normam , ſed ad aurium unum unicum concentum . Quas ut in Oratione ſolutiore iudices probos habeamus , non ita aequas , & rectas experimur in carmine , in quo & Poetarum uſui , & Grammaticorum legibus multum tribuendum . Quas leges qui tollere memoria noſtra volunt , aut nihil vident , aut eo vident oculo , quo Porcellius Baſinianus , ad quem nos amandabimus . Praeſtat tamen dicere in libris ſuis emendatiorem fuiſſe . Liberior interdum*

*probo*. *Miſce*, quod omnino longa eſt ultima, brevi protulit ſyllaba. Alius praeterea mendoſiſſimus eſt hic verſus: *Nil puto divina dignius Aeneide*. *Aeneide* enim, cuius antepenuitima longa eſt, ſyllaba brevi protulit. Eſt enim H, & AINHIS ſcribitur, quod Ovidius, & Statius apertiſſime declarat, quorum alter dicit: *Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor: Contulit in tyrios arma, virumque thoros*; alter vero: *Vive, precor, nec tu divina Aeneida tenta*. Alius Porcellii mendoſiſſimus verſus: *Si quis Heliconios vegio*(ſic) *ſubduxerit hauſtus, Iudicio certe fallitur ille meo*; *Heliconios* enim verbum hoc male poſuit, ita ut in ſolo verbo duos faceret barbariſmos. Hic praeterea eſt peſſimus: *Hyeronime, uberibus dulcis alu-*

*in producendis, quae brevi terminantur. Aliquot etiam peccat ſyllabas pag.* 22. b:

Utile conſilium pro tempore *praeſtes* honeſto.

*Et pag.* 67. a:

Ilicet accinctus labentem *fulcis* amicum.

*Sed multis ſane praeclaris vitia illa ſatis compenſat, aliumque ut habeamus facit, quam Baſinius maledice nimis fortaſſe venditat.*

*alumne meis* ; *Hieronymus* enim , quod etiam barbarus homo male ſcripſit , brevi prima , & ſecunda eſt ſyllaba . Eſt praeterea hic malus : *Et Flacco ſimilis ſcribis aonio* . In verbo hoc *aonio* duo ſunt barbariſmi . Item hic mendoſus : *Fontis Heliconii pectore ducta tuo* . Item hic mendoſus : *Pectore Hyeronimi ſint , precor , iſta mei* . Item hic mendoſus : *Grammata qui neſcit , quo modo rhetoricus* ? Haec quoque mala e grammatica : *Ut duce me extremos ſua geſta* (a) *ferantur ad Indos* ; nam & *ſua* hoc modo non ponitur , & *geſta* hoc pacto non dicimus , ſed res geſtae , bella geſta , & huiuſmodi . Poſſem ego infinitos tibi memorare peſſimos boni viri illius verſus ; ſed non eſt mihi tantum ocii . Mitto compoſi-

 tionem ,

(a) *Si quo Baſinius tempore ſcripſerat , excellentium Virorum vitae ab Aemilio Probo , ut tum ferebatur , revera a Cornelio Nepote puriſſime ſcriptae , fuiſſent in manibus, non ita confidenter adverſatium ſuum damnaſſet . In Datame enim C. 1:* Obſcuriora ſunt eius geſta pleraque . *Non improprie igitur Porcelius pag.67. a :*

Hoc *geſtis* unum , Rex animoſe , tuis ,

tionem, ac verſuum ſonoritatem (a). Audi tamen hunc, quaeſo: *Grammaticos, Logicos, Medicos, Iuriſque peritos*; nonne tibi videtur hic verſus eſſe Alexandri, ſed non Macedonis? Haec ſunt, quae in me ſcripſerunt leviſſimi nebulones. Crediderunt fortaſſe voce ſua illa acerbiſſima, ac rauciſſima deos omnes, tamquam Typhoeus ille vaſtiſſimus, in Aegyptum uſque profugare. Vides itaque, mi Roberte (b), quam parum ſine

(a) *Urſum in Graecis aut parum, aut nihil valuiſſe, teſtes illius verſus ad Petrum Andream Baſſium Ferrarienſem, qui & ipſe Poeta, & Boccatii Theſeidem expoſuit:*

Nil mihi cum Graecis; libros mihi mitte Latinos:
Sub noſtris dulces novimus eſſe favos.

*Retulit in Poetis ſuis Lancilottius, qui Baſſii etiam meminit in Colotio, opere eruditionis pleno pag. 51.*

(b) *Nollem vox barbara ſonoritatem, in barbarum hominem dum invehitur, excidiſſet Baſinio, quod etiam dolendum de* certiſſimo *certe quidem minus latine uſurpato: & de verbo* profugare. *Ut enim fugare latine dicatur, non puto illud fieri, ut profugare item dicere liceat. Quare Porcellius, ſi vir fuiſſet, poterat inimicum armis ipſe ſuis confodere. Graeca multum iuvant: ſed nolim eorum arrogantiam imitentur nonnulli, qui nationis ſuperbiſſimae faſtum ſecuti praeter Graeciae fines nil niſi barbarum putant, barbaroſque habent omnes, qui cum iis graecari non didicerint. Malum, fatemur, graece neſcire, longe*

ſine graecis latinae valeant litterae ; ſcilicet eos graecarum ignaros, tamquam ignaviſſimos fucos ad aliena pendentes pabula, vel in minimis oſtendi apertiſſime erraviſſe. Hoc unum habent refugium, ut credi ipſi volunt, graecae linguae latina anteponunt; & quid dicant neſciunt. Ἕκαστος γὰρ κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει. Si quis igitur bene iudicat, quae novit, quid tu, homo audaciſſime, quae non noſti iudicas? Unum praeterea mihi obiiciunt, quod videlicet nihil emolumenti, nihil laudis graecae mihi attulerunt litterae : qua in re certe falluntur. Nam & benevolentiam tanti principis, quantus hic meus eſt, & agrum pulcherrimum, & villam amoeniſſimam mihi compararunt; quibus illi famelici (a) paraſiti indigent; qui veſtes militares, tamquam pueri induti ſenes dementiſſimi omnibus riſum praebent.



*ge peius graecis tinctos litteris latina ignorare : quod Graeculorum ſcripta non raro declarant.*

(a) *Famelicum Porcellium vere dictum exiſtimo. Certe magna in rerum omnium inopia ſenior vixit. Lege ſis, quae attulit Zenius ſub finem e Porcellii ad Fuſcarinium litteris;*

Sed de moribus tacendum eſt: peteret enim hoc plus temporis, atque olei plus. Audiviſti igitur diſſenſionum inter nos novarum, quae cauſſa fuerit, Roberte humaniſſime; illos autem tanti facio, ut plura ego eorum exemplaria ſcriptorum, quam ipſimet, qui ea ſcripſerunt, emiſerim, atque doctis hominibus patefecerim: itaque librario non indigent. Vale, & Aſtronomica mea a me nuper edita, quae noſter Paullus (a) Saxoferratenſis habet, perlege; a te enim, quid de eo opere videatur, ſcire percupio. Vale iterum. Arimini die Octobris XXVII.

IV.

(a) *Quis fuerit iſte Paullus, nondum comperi. Dies adſcripta Octobris* XXVII. *non ſatis latine; annus deſideratur. Certe ſi in Arce Simundea, orta diſſenſionis cauſſa poſt annum* MCCCCXLVI., *quo tempore Arx conſtituta, ut ex iis, quae inſcripta marmore ſupra portam interiorem ſunt, licet intelligere. Vellem, inquam, annum adſcriptum. Conſtaret enim de tempore, quo Aſtronomica edita; poema longe nobile, quodque ut exeat, curabimus, ac tum fuſius de Baſinio. Interea habe, quae hominis tumulum diſtinguunt, qui ordine primus in exteriore Templi latere, quod Arimini Sigiſmundus magnificentiſſime excitavit:*

BASINII . PARMENSIS . POETAE
D. SIGISMVNDI . PANDVLFI . MAL. PANDVLFI . F
TEMPESTATE . VITA . FVNCTI . CONDITA
HIC . SVNT . OSSA

## IV.

## *EPISTOLA*

*Tranſmiſſa ab Illuſtriſſimis DD. Dominis Prioribus Artium Communis Florentiae Duci Venetiarum*

## PER LEONARDUM ARRETINUM.

Illuſtriſſime, atque Egregie Domine, Amice Cariſſime.

QUum per effectum operis manifeſte deprehenditur, neque inimicis, neque amicis noſtris placere, ut Lucana Civitas in poteſtatem Florentini populi deveniret, decrevimus contra illam amplius non pugnare, ſed nos retrahere a certaminibus, & contemptionibus illis, in quibus, uti vere dixerimus, a ſociis quidem deſertos, ac deſtitutos, ab hoſtibus vero totis viribus impugnari cernebamus. Itaque depoſito contra Lucenſes bello, amicos, & benevolos, quantum in nobis erit, habere illos quaeremus, ne in hac parte fatigare ſocios,

aut

aut eorum ſubſidia implorare compellamur. Quae omnia talia ſunt, ut ſalva fide, & honeſtate, & reſervato iure foederis, quod vobiſcum habemus, facere poſſumus. Haec igitur quantum ad nos. De Comite autem Franciſco dolemus, non fuiſſe praeſtitam fidem iuſtis, ac rationabilibus ſuaſionibus noſtris, toties apud Veſtram Celſitudinem proficuo, ac fideli animo iteratis. Dat. &c.

## V.

## ANTONIUS AUGUSTINUS LATINO LATINIO SAL (a).

GRata mihi fuit & commemoratio officiorum tuorum, quorum mihi perpetua haereat memoria neceſſe eſt, niſi ingratiſſimus eſſe velim, & excuſatio intermiſſionis tuarum litterarum, quae me magis ad officium meum diligentius exſequendum adhortatae fuiſſent, ut tanto, talique amico placerem, quam deterrerent, ullumve impe-

(a) *Cod. Vatic.* 6201. *pag.* 115

impedimentum afferrent. Quare ſi vivit apud te, ut ſcribis, noſtrae benevolentiae recordatio, fac in hoc quoque appareat; ut ſaepius ad me ſcribas, vel quidquid in buccam venerit. Nec tibi poterit deeſſe argumentum litterarum, cum Romae ſis otioſus, & noſcas, quam ſim curioſus earum rerum, quae ad alicuius eruditionis genus attinent. Itaque, ſi quid novi, vel veterum tituli, vel libri, aut ſi quid recentes eruditi homines afferunt, aut excogitarunt, gratiſſimum mihi feceris, ſi me feceris certiorem. Id quoque erit gratius, ſi addideris tuum, & Octavii noſtri iudicium, quo plurimum valetis: ſed haec ita tibi committo, ſi modo commodo tuo facere poſſis. Nos vero valemus, & urbanum deſiderium hoc ſolatio conſolamur, quod tu, tuique ſimiles amici nondum me diligere deſieritis. Ego id ſolum praeſtabo, ut non indigniſſimus iudicer amicitia veſtra. Cura, ut valeas. Benavarra IV. Eidus Iun. M. D. LXVI.

VI.

## VI.

## ANTONIUS AUGUSTINUS

### LATINO LATINIO SAL (a).

CUM ad manus meas veniſſent libri aliquot veteres, quos ex Italia attuleram, in quibus erant Criſpi Salluſtii Iugurthinum bellum, & pars Catilinae coniurationis, conferre coepi cum ſatis diligenti Aldina editione, ac delectatus varietate, non inutile eſſe putavi te huius rei facere certiorem: ut cum omnia amicorum veteri proverbio communia eſſe oporteat, ne hac quidem parte ſive delectationis, ſive utilitatis priveris. Dices, tenui quodam, ac levi filo haec munera fuiſſe contexta: at ea tu quaſi ſudaria Saetaba ex Hiberis aliquo in pretio habebis. De Grucchiana, & Sigoniana contentione ſilentium tuum indicat, aquam tibi adhuc haerere. Audio Sirletium Cardinalem noſtrum in urbem reverſum; id mihi tua de cauſſa iucundiſſimum eſt.

(a) *Cod. Vatic.* 6201, *pag.* 3.

eſt. Si duo praeterea tales Roma tuliſſet, non laboraremus. Tu nos ama, & vale. XI. Kal. Quinctil. MDLXVII. Ilerda (a).

## VII.

## ANTONIUS AUGUSTINUS LATINO LATINIO SAL (b).

CUM litteris tuis IV. Kal. Sextileis datis, quae mihi gratiſſimae fuerunt, titulum cuiuſdam monumenti accepi, & teſtimonia περὶ τῆς συνάξεως, quae libenter legi. Tituli quidem permulta exempla habui, ſed hoc mihi quam emendatiſſimum viſum eſt, & cogitationes meas de veteri ratione ſcribendi mirifice adiuvit; qua de re libet nonnihil tecum per litteras colloqui, ut, ſi quod erroris ſuſceperim, poſſim facile, te admonitore, reſipiſcere. Equidem, mi Latine, praeclare nobiſcum actum eſſe exiſtimo, quod his temporibus nati ſimus, quibus

(a) *Latinii reſponſum habetur inter eius Opera edita Romae Tom.* II. *pag.* 126., *& ex eo anni deſignationem, quae in Auguſtinii epiſtola deſiderabatur, excerpſimus.*

(b) *Cod. Vatic.* 6201. *pag.* 1.

bus omnes artes, & linguarum peritia reviviſcant, cumque noſtri maiores maximis tenebris obruerentur, tum in aliis rebus, tum in hac ipſa dicendi, ſcribendique facultate, non poſſum non his temporibus gratulari, quibus perſpectum eſt, ac cognitum, non alios recte latina lingua uti, quam eos, qui Ciceronis tempore vixerunt, quique ad Ciceronis imitationem ſe totos compoſuerunt: quorum hodie licet in re praeclara pauci principatum obtinent, tamen magna frequentia eſt eorum praeſertim, qui hac ratione uſi bene latina lingua utantur: ſed illud unum mihi videtur nondum fuiſſe aſſecutos, quemadmodum ſingulae litterae, ac ſyllabae proferri, ac ſcribi debeant: & de pronuntiatione alias; nunc paucis de ſcribendi ratione attingam. Non dubium eſt, quin eiſdem Tullianis temporibus, quibus latina lingua effloruit, optime omnia ſcriberentur: at ſi oſtendero hoc tempore eamdem ſcribendi rationem obſervare neminem, facile vincam, quod propoſui, certum eſt.

Illius

Illius autem temporis monimenta aliquot exſtant, quae aut tabulis legum, aliorumve inſtrumentorum publicorum, aut privatorum, aut titulis monimentorum, aut pecunia ſignata continentur: eorum omnium litterae ab his, quibus utimur, longe differunt. Cumque omnia verba latina quinque litteris, quas vocales appellant, efferantur, in his ipſis monumentis animadverti ſaepe alia ratione has eaſdem vocales litteras conſcribi, ut in hoc eodem titulo, quem ad me miſiſti, in quo verbum feci non uno in loco cum *ei* diphthongo ſcriptum eſt; ſic etiam *ponteis*, *omneis*, *poſeivei*, *meillia*, *eidem*, *conqueiſivei*, *rediaeique*, *heic*. De hac ſcribendi ratione exſtant Lucilii verſus apud Quintilianum: *Iam puerei venere*, *e* poſtremum facito, atque *i*, ut *puerei* plures fiant &c. Exſtat etiam praeceptum P. Nigidii, qui Tullianis temporibus doctiſſimus habitus eſt apud Gellium lib. XIII: *Si huius amici, vel huius magni ſcribas, unum* i *facito extremum, ſin vero hi magni*,

*gni, hi amici caſu multitudinis recto, tum ante* i *ſcribendum erit* e *&c.* Hac ratione ſcribendi pleriſque in locis Verrius Flaccus in Faſtis eſt uſus, quem nos imitati ſumus in editione Varronis libri de lingua latina, ſecutique ſumus in pleriſque locis exemplum libri veteris Achillis Maphaei. In nummis quoque ante Auguſtum Caeſarem ſignatis idem genus ſcribendi animadvertimus: in quibus eſt L. Opeimius, & Floralia preimus fecit, & EID. MART., & alia id genus, ut etiam in Kalendario veteri pro IDIB. ſemper ſcriptum eſt EID. Eadem ratione Plautus utitur in argumento Comoediae, quae *Captivi* inſcribitur; nam ſi primas litteras ſingulorum verſuum coniunxeris, efficies non *Captivi*, ſed *Captivei*, quod etiam Politianus animadvertit. Non ignoro Auguſti tempore coepiſſe pro hac diphthongo *i* litteram maiorem ſcribi, quae ordinem aliarum litterarum excederet; uti in nummis, & titulis Auguſti animadvertimus Auguſtum DIVI F. appellatum, eique civicam eſſe donatam

natam ob CIVIS ſervatos. Id ipſum nonnumquam ſequitur Verrius in Faſtis, cum PAPIRIOS, & ATILIOS enumerat, quos Graeci cum *ei* diphthongo ſcribunt. Hic uſus aliquot annos obtinuit, & mox paullatim deſiit. Idem dicendum eſt de *ou* diphthongo, namque in titulo, quem ad me mittis, *Nouceriam* pro *Nuceriam* ſcriptum eſſe video, ut in multis veteribus monumentis *Oufentina* pro *Vfentina tribu*, & in nummis FOVRIVS CRASSIPES, & FOVRI PHILI, & alia; & in tabulis legum IOVDICES, IOVDICARE, & Iovs. Quae poſterioribus temporibus, omiſſa *o* littera, uſurpata ſunt, nonnumquam vero apice appoſito ſupra v littera conſcripta, ut in nummis Q. POMPONII MVSAE. Vetuſtius eſt, ut Latini longas litteras vocales duplicarent, ut multi teſtantur, exſtantque monumenta Tullianis temporibus, vel eis vicinis conſcripta, in quibus AA pro A, & EE pro E, & OO pro O, & VV pro V agnoſcimus: ſic in nummis NVMONIVS VAALA, quem Horatius Valam appellat illo

carmine : *Quae ſit hiems Veliae , quod Caelum , Vala , Salerni* , & Fauſtus FELIX , & in tabula Genuate Q. MVCIO cos. , & in alia IVVS . Ab hac ſcribendi ratione paullatim deſcivere , coeperuntque apicibus uti , quod vel Quintiliano fecit negotium , qui mavult , ut apex tantum ambiguitatem tollat . Sunt alia , in quibus a ſcriptura eorum temporum diſceſſum eſt , ut cum *intellego* , *epiſtula* , *optinet* , *thenſaurus* , ſcripſerunt . In quibus colligendis non ſine laude operam poſuit , ut noſti , Aldus Manutius Paulli filius ; quamvis is monendus nonnumquam eſſe videatur , quod non diſtinxerit temporum rationem . Namque ſunt quaedam nimis pervetuſta , ut in titulo Columnae Roſtratae C. Duilii IN . ALTOD . MARID . CLASEIS , & alia ſine ullius litterae duplicatione , ut in denario quodam legi Q. PILIPVS , & apud Plautum MEDERGA , & alia ſexcenta . Alia ſunt poſterioribus tantum temporibus uſurpata , cum eloquentiae arcem Romani amiſere ; ut qui GAIVS ſcribunt , & GN. ,

& EX-

& EXCONSVLE, & COSS., atque AVGG. Accedit praeterea punctorum mutatio, de qua video quosdam nimis sibi placere, atque gloriari, cum ea usurpant, quae nullo exemplo fiunt: mihi quidem satis est, si illis opponam Tulliana tempora, quae se velle imitari iactant. Quod si quis obiiciat nullum exstare exemplum veterum librorum Ciceronis, Caesaris, Sallustii, in quo haec scribendi ratio conservata sit, ac ne illa quidem, quae omnes laudant, exempla Terentii, & Vergilii Bembi, & si qua alia exstant, & in pretio a doctissimis viris habentur; huic argumento facile respondemus, nulla exstare optimis temporibus scripta volumina, sed aut Iustiniani, aut Theodosii, aut, ut omnia illis concedamus, Constantini Maximi temporibus, quibus linguam latinam concidisse fatentur. Et quamvis in his veteribus libris multa melius scripta sint, quam in iis, qui vulgo circumferuntur; tamen ab optima ratione scribendi longe absunt. Sed haec hactenus.

Titulum, cuius exemplum ad me miſiſti, Cicerone vivo conſcriptum fuiſſe indicium eſt, quod de fugitivis in Sicilia comprehenſis adiectum eſt; nam & Manius Aquillius, & M. Craſſus eodem tempore fugitivos comprehenderunt. Quod vero REGIVM recte ſcriptum ſit, non dubito, ut REGIVM LEPIDI, & a Graecis video in nummis ſignatam pecuniam his litteris ΡΗΓΙΝΩΝ, nec Straboném audio aliunde, quam a Rege, id nomen ducen·em, aut ſi quem alium Aldus, & ceteri ſequantur. Salluſtianam emendationem tibi placere gaudeo; ſi per valetudinem licuiſſet, reliqua habuiſſes. Sirletio Cardinali plurimam ſalutem dices, & valebis. Poſtridie Kal. Sept. Ilerda.

A. A. Ilerden.

VIII.

## VIII.

## LATINIUS

### ANTONIO AUGUSTINIO EPISCOPO ILERDEN. SAL. P. D (a).

LItteras tuas longiſſimas ſimul, & ſuaviſſimas Poſtridie Kal. Septemb. Ilerda datas ad VII. Kal. Novemb. accepi: in quibus mirifice me omnia delectarunt, praeterquam quod erat adſcriptum in extremo, te, ſi per valetudinem licuiſſet, reliquas in Salluſtium varias lectiones fuiſſe miſſurum. Nam etſi ſpero, Dei benignitate, iam convaluiſſe, fuit mihi tamen permoleſtum, te vel leviſſima morbi tentatiuncula a neceſſaria gregis tui curatione, atque a ſtudiorum tuorum curſu honeſtiſſimo abduci, aut retardari. Quod autem ad me, quae de recta latine ſcribendi ratione, multorum annorum diligentiſſima obſervatione collecta abs te erant, tam amanter miſeris, fuit mihi certe cum eo nomine gratiſſimum, quod in re tam



(a) *Cod. Vatic. 6201. pag. 12.*

tam varia ſemper, & incerta, circumſcriptis quibuſdam quaſi finibus, certam rationem adinveneris, cui aſſentiri facile quivis poſſit; tum honoris quoque mei cauſſa. Cur enim non ingenue fatear, me tam liberali, prolixaque tua erga me humanitate, cum aliqua honeſtae de me opinionis ſignificatione coniuncta, non permoveri ſolum, & affici, ſed gaudere plane, atque laetari? Sed quod ſcribis, te, ſi quid errore ſuſceperis, me monitore relicturum, non ſatis adhuc video, quid ſpectaris. Nam in tuam ſententiam ut mihi deſcendendum omnino ſtatuam, tam mihi aequum in ea re eſſe videtur, quam ut in iure dicendo ne latum quidem unguem a te quiſquam diſcedat. Verum quando iam multis ante ſaeculis latinae linguae uſum ita amiſimus, ut ne litterarum quidem ullum ſonum retineamus, in quo certa nobis ratio conſtare poſſit, recte ne a nobis, an ſecus latina verba pronuntientur; atque ea inveſtigatio non multum ad erudiendos animos hominum conferre poſſit,

con-

conſultius facturos nos iudico, ſi abiecta tam anxia, peneque inutili circa litteras, & veterem ſcribendi conſuetudinem cogitatione, & cura, in rerum honeſtarum, atque ad omnes vitae rationes in primis utilium inveſtigatione operam omnem noſtram, induſtriamque ponamus. Erit id cum nobis ipſis omnino honeſtius multo, & laudabilius, tum poſteris quoque noſtris longe utilius. Sed haec hactenus. Affero nunc ad te quaeſtionem mihi, multiſque nuper propoſitam: quia digna viſa eſt, in quam animi tui vires, ingeniique acumen intenderes. Ea vero eſt huiuſmodi: Plutarchus in libello, cui titulus eſt περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, cum finitam daemonum quoque vitam ex Heſiodi verſibus oſtendiſſet, eamque ad novem millium ſeptingentorum viginti annorum ſpatium produxiſſet, eum numerum ita ortum habere ſcripſit, & perfici, ut ſi verbis eius ſtare omnino volumus, nulla ratio iniri poſſe videatur, qua nos ad propoſitam ſummam pervenire valeamus. Erit

igitur dignus acri ingenio tuo nodus: ad quem explicandum hic ab eruditis viris nihil adhuc allatum eſt, quod ſatisfaciat, fereque omnes in ea ſententia ſunt, ut vel manca Plutarchi verba, vel depravata omnino exiſtiment, cuius rei manifeſtum argumentum eſse volunt, quod cum initio ſcriptum ſit σωθέσει μὲν, nihil poſtea ſequatur, quod veluti neceſsaria quaedam portio, orationem abſolvat. Praeterea, τεσσαρἑκοντα γὰρ ἑκατέρως γίνεται, verbum ἑκατέρως mendi ſuſpicione non vacare putant; & infra ταῦτα δὲ πεντάκις τεταγωνισθέντα, ſi verborum communes, receptaſque hactenus notiones ſequamur, nullo modo tantum annorum numerum perficere poſse arbitrantur. Conſiderabis ergo locum diligenter. Et ſi erit otium, videbis etiam, quanam ratione defendi poſſit Lucretius in VI., ubi Thucididis verba pene ſingula latine reddens τῇ καρδίᾳ *cor moeſtum* dixit: cum certum ſit καρδίαν, id eſse Hippocrati, & fere omnibus, quod στόμαχος, id eſt *ventriculi os*. Hunc Lucretii

cretii lapſum nuper viri eruditiſſimi Petri Victorii cenſura animadverſum legimus; ſed non omnes facile aſsentiuntur Victorio. Ego vero contra ſentio, nihil in tota ea parte factum a Poeta venuſtius, nihil magis proprie, nihil in quo praeſtantioris eruditionis, quae vere Philoſophum virum deceret, expreſsa veſtigia appareant, quam in moeſti cordis appellatione. Sed exſpecto prius, quid ſentias, ne ſi aliquid occupem prior, excluſum te ab eius poſsèſſionis aditu, veluti interdicto praetorio, aſtute videar ſubmoviſse; cum facile fieri poſſit, ut te eadem via ad idem mecum ſentiendum perduxeris. Vale, cum ex me plurimum, tum ex Sirletio Cardinale, qui te peramanter etiam, atque etiam ſalutat. Roma XVII. Kalend. Septemb. M. D. LXVII.

IX.

## IX.

## ANTONIUS AUGUSTINUS

### LATINO LATINIO SAL (a).

NON poſsum tibi negare, quod a me tantopere eſflagitas, ut ad te ſcribam, quid ſentiam de controverſia Sigonii noſtri cum Gruchio de binis Comitiis, & lege Curiata. Eſt illa quidem ab utroque docte, & eleganter, quodque mihi vehementer placuit, modeſte ſatis tractata: ſed in neutrius opinione acquieſco. Verba Ciceronis mendoſa eſse arbitror, rem ipſam perobſcuram. Emendatio Gruchii nimis audax eſt, & a veteribus libris, ut ſcribis, aliena. Eius opinio, qua putat Ciceronem ſenſiſse binaComitia omnibus magiſtratibus, exceptis plebeiis, fuiſse neceſsaria, etiam ſi neque rem militarem attingerent, neque extra urbem proficiſcerentur: mihi incerta eſse videtur, nulliſque veterum monumentis probari. Quae de praerogativa attulit ex Aſconio

(a) *Cod. Vatic.* 6201. *pag.* 7.

nio Sigonius, ut bina centuriata Conſulis indicaret, parum accommodata ſunt, & recte a Gruchio reprehenduntur. Quod ſcribis in multis libris addi CVM ante illa verba (*Centuriata lex*) id libens amplector; ſed ita, ut tollam primam ſyllabam eius verbi *Centuriata*, quod mihi inſolens videtur; T litteram in C muto, & ſcribo CVM CVRIATA pro *Centuriata*, quae duo verba poſtea ſcripta ſunt, & neſcio, an illic delenda ſint, & hoc loco ſcribenda. Fit enim ſaepe, ut cum alter Scriptor errorem corrigit, alter poſtea utrumque ſcribat non ſuo loco. Verbum *Conſulib.* placet, neque enim video, qua in re indigeant Cenſores aliis Comitiis, quam quibus creati ſunt, & cum luſtrum faciunt, non aliquod imperium accipiunt, ſed exſequuntur ius magiſtratus ſui. Sic igitur ſentio ſcribendum: *Maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. Nam quum Curiata lex Conſulibus ferebatur, quum ceteris patriciis magiſtratibus: tum, iterum de iiſdem iudicaba-*

*cabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui poeniteret.* Senſus horum verborum apertus eſt, & ad Ciceronis cauſsam maxime accommodatus. Quod enim lege Servilia fiebat, ut Decemviri Curiata lege ornarentur: id ne quis exiſtimaret, exemplo Conſulum, & aliorum Patriciorum, hoc eſt maiorum Magiſtratuum, fieri, qui etiam eadem Curiata lege ornabantur, cum extra urbem cum imperio proficiſcerentur, docet Cicero multum intereſse; namque alteri ſine ullis comitiis iuſtis magiſtratum adepti fuerant, alteri iuſtis comitiis. *Iam hoc inauditum*, inquit, *& plane novo more, uti Curiata lege Magiſtratus detur, cui nullis Comitiis ante ſit datus.* Cauſsam poſtea affert, cur id inſtitutum ſit, & adhuc debeat retineri: *Maiores*, inquit, *bis vos de omnibus his Magiſtratibus, qui ea lege ornantur, & maiores, atque Patricii dicuntur, ſententiam ferre voluerunt.* Explicat hoc namque, quum Conſulibus, vel aliis Magiſtrati-

ſtratibus lex Curiata ferebatur : (*ferebatur*, inquit, non *fertur*, ut elevet uſum Curiatae legis ſui temporis) olim ideo praeter ea comitia, quibus deſignabantur, Curiatis Comitiis opus erat, ut extra urbem imperium exercerent praetorium, quale hoc eſt, quod Servilius optat ſuis Decemviris; quum ceteris, inquit, patriciis magiſtratibus (adde lex Curiata ferebatur) ut omnibus Praetoribus in Provincias ituris, quid agebatur? Tum iterum de eiſdem iudicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, & nihil, inquit, aliud tum agebatur, quam iudicare iterum, an illi eodem magiſtratu digni eſſent, vel exercitui praeeſſe, vel Provinciam regere, aut ea poteſtate uti extra urbem poſſent. Olim haec hac de cauſſa fiebant: nunc vero prima illa Comitia, quibus Magiſtratus dantur, ſive ea Centuriata, ſive tributa ſint, retinetis vos quidem adhuc, & frequentes in eis adeſtis; at haec Curiata, de quibus locuti ſumus, auſpiciorum tantum cauſſa remanſerunt, ea vos non initis,

tis, ea per triginta lictores, quod magis oratorie, quam vere esse dictum suspicor, habentur. Sed ego nimis ineptus sum, qui tam multis ad te verbis utar, ut te doceam scilicet, quod neque scio, neque didici. Volui tamen in hanc potius partem peccare, ut magis ineptus dicerer, quam minus amicus. In verbis Messallae verbum *iustius* retineo, ac si mutandum est, pro eo VETVSTIVS scribendum censeo. Loquitur enim de minoribus Magistratibus, quibus inauditum est dari ius aliquod lege Curiata, praeter ius suae potestatis, quam inito Magistratu consequuntur. At olim tam plebeiis, quam Patriciis minoribus Magistratibus Comitia Curiata solemnia fuerunt. Quod scribis aliud esse legem Curiatam, aliud Comitia, non dubium est: sed abutitur nonnumquam Cicero his verbis. Primum, inquit, lege Curiata Decemviros ornat, uti Curiata lege Magistratus detur; at postea Curiatis, inquit, eam Comitiis confirmavit. Vides hic, dici Comitiis Curiatis, quod illic lege

Curia-

Curiata. Tu me amabis, & valebis, tuaeque, & Octavii noſtri ſententiae de his eiſdem rebus facies certiorem. Ilerda III. Nonas Novemb. A. A. Ilerden.

## X.

## LATINUS LATINIUS

### ANTONIO AUGUSTINO EPISCOPO ILERDEN. SAL. D (a).

ETSI nihil erat, quod hoc tempore ad te ſcriberem, nolui tamen committere, ut proficiſcenti Sanctio nihil litterarum darem; cum praeſertim ille me propterea profectionis ſuae admonendum putarit, ut aliquid omnino ſcriberem. Ego vero cum diligenter in hoc officiorum genere omnibus ſemper ſatisfacere ſtudui; tum uni tibi omnium maxime id ipſum a me deberi putavi, planeque ſum profeſſus. Illud autem, fateor, interdum me a ſcribendo deterret, quod tibi homini in rerum graviſſimarum contemplatione, actioneque aſſidue occupato

(a) *Cod. Vatic. 6201 pag. 6.*

to importune me facturum arbitror, si vel tantillam moram afferam; dum vel inanes prorsus, vel certe de leviſſimis rebus ſcriptas litteras meas legis. Scripſi XVII. Kal. Decembris ad te de Plutarchi loco, vel mendoſo, vel mutilo in libello περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρησηρίων. Exſpecto avide, quid tu primum, deinde etiam quid eruditi alii apud vos de tota ea re ſentiant. De Lucretii quoque lapſu a viro doctiſſimo Petro Victorio animadverſo, erit mihi gratiſſimum, ſi quaenam ſententia tua ſit, pro tua humanitate ad me, cum ſatis erit otii, ſcribendum duxeris. Nos hic valemus utcumque, Octavius item pater. Sed quid de me futurum ſit, difficile eſt praevidere. Urbem colere, atque in hac luce virorum eruditorum, optimorumque ſuaviſſima conſuetudine frui, quamdiu liceat, tam mihi firmum, certumque eſt, quam quod certiſſimum. Itaque extrema omnia ferenda cenſeo, priuſquam urbem deſero. Verum haec alias. Tu perge amare nos, & vale. Roma XVII. Kal. Ian. MDLXVII.

XI.

## XI.

## ANTONIUS AUGUSTINUS

### LATINO LATINIO SAL (a).

PErcommode accidit, ut ad me litterae tuae XVII. Kal. Decemb. datae, praeſente doctiſſimo quodam viro Petro Ioh. Nunnio Valentino, pervenirent. Ab eodem enim didici Plutarchi locum, de quo me his litteris interpellabas, non minus verbis, quam ſententia perobſcurum interpretationem hanc recipere, quam his litteris comprehendam, ut potero; eaſque notas numerorum adſcribam, quibus facilius explicare conabor acutiſſimi viri ſententiam. Principio non credo, te deſiderare explicationem illam, quae apertiſſima eſt, quo pacto ex Heſiodi ſententia Nympharum vita novem millia ſeptingentos viginti annos non excedat; cum ex ſingulorum numerorum multiplicatione ea ſumma reddatur: homini anno uno, cornici novem, cervo triginta ſeptem, corvo cen-



(a) *Cod. Vatic.* 6201. *pag.* 17.

centum & octo, phoenici nongentis ſeptuaginta duobus, & natis, ultimiſque his decies auctis. Difficultas maxima eſt, quo pacto utrimque quadraginta, ſive quadragena illa fiant; & poſtea ſumma eadem fiat, ſi quinquies quadragena multiplicentur. Ab hac difficultate elabimur, ſi noverimus duplicem numerationis rationem a veteribus uſurpatam. Altera eſt, quam ἀπὸ μονάδος appellabant, qua ſinguli numeri infra decem, & ſinguli ſingularum decuriarum, ſive centuriarum tantum colliguntur; ut ſi quis hac ratione enumeret CCXXVI. decem eſſe affirmare cogetur; at CCCXLIII. item decem, CCCCLXIIX. decem & octo. Altera ratio numerationis eſt, cum ſaepius numeri multiplicantur, non ſolum ipſi inter ſe, ſed etiam ſumma, quae ex ipſis conficitur; ut cum dicitur πεντάκις τεσσαρακοντάδα a Plutarcho, ſignificatur quadragenarium illum numerum quinques eſſe cum ſua ſumma augendum, ita ut ter ſingulae ſummae multiplicentur. Nam ſi ter quadragena multiplices,

ces, efficies CXX., ſi haec eadem item ter; tunc novies quadragena ad CCCLX. aſcendent, quae ſi ter augeas, hoc eſt vicies ſepties quadragena, colligitur ſumma mille octoginta numerorum. Iam ſi quarto ter multiplices hanc ſummam, fient tria millia ducenta quadraginta, quod fit ex multiplicatione LXXXI. numeri quadragenarii. Si denique hanc quoque ſummam ter multiplices, eam ſummam efficies, quam Plutarchus ſignificat, quae fit ex multiplicatione CCXLIII. illius primi numeri quadragenarii. Sic vides, quo pacto, cum quinquies quadragena multiplicaveris triangulari illa ratione, ſumma conveniat. Sed quo pacto quadragena fiant ἀπὸ μονάδος, obſcurum eſt; niſi fingamus, vel potius meminerimus, cornicem a cervo quater, cervum a corvo ter, corvum a phoenice novies, hunc a nympha decies aucto annorum numero vinci. Hi numeri ſingillatim quater augendi ſunt, quod Plutarchus dixiſſet, niſi mendoſus eius liber eſſet. Quod ſi quatuor

quater augeas, fient ſexdecim, ſi tria item quater, colliges duodecim; ſi novem eadem ratione multiplices xxxvi. fient, ſi dena, quadraginta. Horum numerorum utrimque ἀπὸ μονάδος collige ſummam; hoc eſt quatuor, trium, novem, decem, fient xvii. item ſexdecim, duodecim xxxvi., & quadraginta, ſi eadem ratione enumeres, fient xxiii., ita ex utriſque efficiuntur quadraginta, quod Plutarchus, ut cogitamus, dixit. Verba Plutarchi ita ſcribi poſſunt: συνθέσει μὲν ἐκ τῶν τεσσάρων ἑξῆς, ἀπὸ μονάδος δὲ τετράκις γενομένων τεσσάρων τῶν πολλαπλασιαζόντων· τεσσαράκοντα γὰρ ἐξ ἑκατέρων γίνεται· ταῦτα δὲ πεντάκις τριγωνισθέντα τὸν ἐκκείμενον ἀριθμὸν παρέσχεν (a). Mihi quidem ſententia Plutarchi acute ſatis explicari videtur, verba tamen audaciuſcule mutari. Hadrianus Turnebius Latinus interpres fatetur, ſe meliorem librum deſiderare. His tamen verbis utitur. At haec ſumma novies mille ſeptingentorum, & viginti,

(a) *Tom. I. 740. ante med.*

ginti, compoſitione ex quatuor numeris iam inde uſque ab unitate deinceps quater multiplicatis naſcitur. Utroque enim modo quadraginta efficiuntur, quae quinquies in triangulos redacta, propoſitam ſummam abſolvunt (a). De corde moeſto Lucretiano quid Victorius noſter ſcripſerit, ignoro, Thucydidis Graecus interpres recte videtur καρδίαν interpretari, Valla praecordia, Lucretius dedita opera cor moeſtum, Gallus quidam cor. At cordis morſum, aut morbum ſolent Graeci καρδιωγμὸν, καὶ καρδιαλγίαν appellare, id Lucretium cor moeſtum dicere reprehendendum non eſt. Haec ſcripſeram, cum mihi cor moeſtum ex litterarum tuarum lectione, quas XI. Kal. Ianuarii dederas, fuit. His enim me certiorem litteris de morte Octavii noſtri feciſti, quem uterque noſtrum unice amabat. Sed cum illo actum eſſe praeclare puto, quod eum mors a malis, quam a bonis ad perpetuam illam



(a) Utroque enim modo &c. *Deeſt, inquam, aliquid, cum modus unus exſtet, alter deſideretur.*

Beatorum animorum ſedem tranſtulit. Nec mors dici potuit repentina, aut improviſa, quae accidit ſeptuagenario, & quinquennio dimidia parte corporis capto, ac manco. Vita vero fuit beata, cui & animi dotes, & nonnullae corporis eximiae, a Deo Optimo Maximo religione, & ſinceritate fidei illuſtriores effectae ſummam illam ei gloriam pepererunt, in quo multos annos vixit in iſto Orbis terrarum theatro, vel ipſis invitis, qui ſummam Reipublicae tenuerunt. Titulum ſepulcri legi, elegans eſt, & te, atque illo non indignus. Sed ſi res eſt integra, illis verbis (Sodalit. Servor. obſervant. Sodali) ſcriberem (Huius Sodalitii Sodali), & poſt verbum (probitatis) adderem (ingenii, atque eruditionis) & pro illis verbis (tantique erga omnes officii) ſcriberem (ita erga omnes officioſo). Illa quoque verba auferenda cenſeo (Sodales amantiſſimi Sodali ſuaviſſimo P.), & pro Cal. (Kal.) ſcribo. Non video autem, cur non etiam Abbatem, ſive Pro Abbate inſcribamus; cum

id

id quoque nomen patrem ſignificet. Narbonenſem inſcriptionem tantopere a te laudari miror. Habet enim nonnulla minus exacta; ſed amo diligentiam tuam, quod me diligenter de ea admonueris, exemplumque eius miſeris pereleganter conſcriptum. Vale VIII. Kal. Martias. Ilerda.

A. A. Ilerd.



## XII.

## ANTONIUS AUGUSTINUS

### LATINO LATINIO SAL (a).

LItteras tuas Nunnio meo oſtendi, ut de Plutarchi numeris iterum plenius tibi ſatisfaceret. Laudavit, quae ſcripſeras, ſed non eſſe adhuc omnem difficultatem ſublatam affirmavit; qua de re poſtea pluribus, ut opinor, cognoſces, & quid ille ſentiat, & quid in tuis litteris deſideret. Interea, ut peterem abs te enixe hortatus eſt, ut Diophanti de Arithmetica libros, qui in Vaticana Bibliotheca non uno exemplo ſervantur, deſcribi, & ad nos mitti cures; aut ſi graece, vel latine editi ſint, eius rei nos facias certiores. Quod quaeris, quid exiſtimem ſignificare in Narbonenſi, & Patavino titulo *Magmentum protollere*: rem tu quidem mihi perobſcuram a me enarrari cogis. *Magmentum* ex Catonis, Varronis, Feſti, Nonii, Servii, & Arnobii verbis id eſſe videtur, quod augendae Religionis cauſſa ſacrificio adderetur, unde etiam *mactare* dicitur,

(a) *Cod. Vatic.* 6201. *pag.* 15.

citur, & *mactum esse*. *Macte*, inquit Servius IX. Aene., *magis aucte*. Sermo tractus a sacris. Quoties enim aut thus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: *mactus est taurus vino*, vel *thure*: hoc est cumulata est hostia, & magis aucta. Id igitur *non protolli iubetur in legibus arae Narbonensis, & Illyricae*; hoc est non alio duci, sed in eam aram inferri: ita enim interpretor *protollere* esse porro tollere. Sunt autem quaedam verba duriuscula composita, & in veterem quamdam formulam concepta in utroque titulo, quae obscuritatem augent, quale in his ipsis verbis est: *Sive quis hostia sacrum faxit; qui Magmentum nec protollat idcirco tamen: probe factum esto*. Nam si scriptum esset, *qui tamen Magmentum non tollat*, non laboraremus. *Nec* pro *non* in duodecim tabulis fuisse nostri testantur; *cum de furto nec manifesto agitur*. Idcirco significare videtur circa id sacrificium, vel in eo sacrificio. Quod in Paravina inscriptione est (*Quod Magmentum*) mendosum

doſum eſſe ſuſpicor, niſi forte ad verbum *ſacrum* referre oportet, quod minime probo (a). Habes ſententiam meam, tu me certioris tuae facies certiorem, & cum erit commodum, vel Cardinalem Sirletium, vel Matthaeum Devarium, vel Fulvium Urſinum, vel omnes potius percontabere, ſi cognoſcere poſſint, cuius ſint verba ab Suida relata verbo παυδίκται, quae alio quoque loco ab eodem relata ſunt, quidque de eodem verbo a Graecis fuerit memoriae traditum, aut quis eo uſus fuerit, praeter Tironem Tullium, Plinium, Gellium, Cariſium, & Iuriſconſultos Ulpianum, ac Modeſtinum, & Iuſtinianum, & Iuſtinianeos interpretes. Verſiculos quoſdam ad te mitto, ſi minus verbis, aut numeris, at ſententia, ut arbitror, non ingratos. Cura, ut valeas. Nonis Iuniis. Ilerda. A. A. Ilerden.

*LETTE-*

(a) *Videndus Herodianus lib. v. de Elagabalo ſcribens, ubi ſacrificium eius nominis inſtitutum narrat, extaque victimarum, atque aromata in lancibus aureis capitibus virorum honeſtiſſimorum impoſitis circumlata deſcribit. Id enim videtur ſolemne pompae genus quoddam adhibitum ad augendum Deorum honorem.*

# *LETTERE ITALIANE*
# DI ALCUNI ILLUSTRI SCRITTORI
## DEL SECOLO XVI
### *CIOE'*
## Di Annibale Caro, di Antonio Agoſtini, di Matteo Bruno, e di Gio: Batiſta Guarini
### CAVATE DAI LORO ORIGINALI.

Digitized by Google

## *AL REVERENDISSIMO PADRE*
## DON CESAREO POZZI
### ABATE ULIVETANO
### L' EDITORE DI QUESTI OPUSCOLI.

*IL dono, che a Voi faccio di queſte poche Lettere Italiane inſerite nel Tomo ſecondo de' noſtri Aneddoti, è un piccolo contraſſegno del molto, che vi debbo, e che vi debbo ben volentieri. La cara amicizia, di cui m' onorate, ed il comodo, che generoſamente ne' miei letterarii paſſatempi m' accordate della bella Biblioteca Imperiali confidata alla voſtra direzione, ſono i motivi di queſto mio dolciſſimo debito. Capiſco quanto poco vi doni, ma la coſtituzione di queſta Raccolta compoſta di ſoli Opuſcoli è tale, che in eſſa agli amici non poſſiamo donare, che piccole coſe. Eccovi preciſamente il caſo dell' antico proverbio*, che i piccoli regali alimentano l' amicizia, ed i grandi colla lor mole l' opprimono. *I pochi Autori di queſte Lettere ſono notiſſimi a Voi, ed a qualunque cadranno ſotto gli occhi; quindi è inutile il parlarvene a lungo. La prima, benchè ſotto nome di Monſig. Giovanni Guidiccioni Preſidente di Romagna, deeſi attribuire ad Annibal Caro, che allora gli ſervia di Segretario. Ma ſia dell' uno, o dell' altro, ſono amendue nomi cari alle Muſe, e cari a tutti noi. Le tre Lettere d' Antonio Agoſtini le troverete ſecondo il ſolito piene di erudizione, e mancano nella Raccolta di Lucca. Matteo Bruno Giu-*

*Giureconſulto Ariminese non vi ſarà men noto per le lodi, che gli danno lo Struvio* (a), *e il Gottofredo* (b), *che per l' elenco dell' Opere ſue nel Mazzuchelli* (c). *Di coſtui dunque leggete una Lettera, dalla quale vedrete eſſere lui non meno amante delle belle Lettere, che delle Pandette. In fine le due del Guarino, che da me copiate ſull' originale devono, ſe non per altro, eſſerci grate, perchè ſcritte da quella medeſima fortunata mano, che ſcriſſe tant' altre belle, ed eleganti coſe. Una di queſte ſervirà ancora alla ſtoria di sì grand' Uomo, perchè accenna la ſua Ambaſciata a Venezia, ed una Orazione da lui recitata in quella congiuntura, e di cui non mi pare d' aver ſentito menzione. Ma per tornare al mio tenue regalo, non lo crediate interamente però ſpogliato d' intereſſe. Noi vorremmo con ciò impegnarvi ſempre più a comunicarci le coſe, che avete fra' voſtri manoſcritti, e che poſſono abbellire la continuazione di queſt' Opera, la quale dalle molte ricerche ſembra aſſai grata al pubblico. Non è già, che manchiamo di materiali opportuni, che anzi ce ne piovono da tutte le parti, ma bramiamo di avere il piacere di ottenerne anche da Voi; giacchè i doni diventano più cari per la mano del Donatore. Vale.*

LETTE-

(a) *Biblioth. Iur. Select. lib.* IV. *tit.* XX. *de Ceſſion. Bonor. cap.* VII. §. 94.

(b) *L. 2. Cod. Theodoſ. To.* II. *Part.* IV. *pag.* 2219.

(c) *Scrittori d' Italia To.* II. *Part.* IV. *pag.* 2219.

## LETTERA I.

*Di Annibale Caro a nome di Monſig. Giovanni Guidiccioni Preſidente di Romagna al Card. Camerlingo in Roma* (a).

NON mi è parſo inveſtirne ancora i Rangoni, perchè, Monſig. Rmo, queſta mi è riuſcita una coſa degna di grandiſſima conſiderazione, e mi parrebbe far contro coſcienza, ſe S. S. non la intendeſſe bene. Io darò loro il poſſeſſo del Caſtello, ogni volta, che eſſi non potranno di manco; ma ſia certa V. S. Rma, che tanto è l' odio, che portano a queſti Signori, e tanta la oſtinazione, e la paura di tornare loro ſotto, che impoſſibile coſa è, che abbiano ſe non il loco ruinato, perchè gli uomini ſono riſoluti di abbandonar il Caſtello, e venduto, e portato via quel, che poſſono, abbruciare, e minare il reſto, e tengono queſta deliberazione

(a) *Cavata dal Libro delle pubbliche Riformanze della Terra di Savignano ſegnato lettera* A *in fine*.

ne con tanta coſtanza, che mi fa ricordare dei Lici contra Bruto, e dei Saguntini contr' Annibale; e ſono certo, che, ſe queſta coſa và innanzi, Sua Santità fa manifeſta perdita di queſto Caſtello, il quale per tutti i riſpetti è bene, che lo mantenga, e che ſtia ſotto a queſto governo, tanto più, che per redimerſi offeriſcono di sborſare 5000. ſcudi, coſa, che mi pare impoſſibile a un Caſtelletto, come quello. E quando con tanto fervore deſiderano il governo Eccleſiaſtico, e con la morte, e con ogni generazione di calamità non ſi poſſono indurre a ſervire ad altri, mi par, che ſi debbano raccorre, ed aver loro compaſſione, e non ruinare, e mandare a diſperſione un popolo, per darlo a chi a ogni modo non lo può tenere, ed a Signori, ai quali non ſono mai per ſervire. Aſpetto, che V. S. Rña mi dia avviſo della mente di S. Beatitudine ſopra queſto, ed a V. S. Rña umilmente mi raccomando. Di Forlì alli xx. di Febraro MDXL.

LETTE-

## LETTERA II.

*Di Antonio Agoſtini a Fulvio Orſino* (a).

Molto magnifico Signor mio.

AVendomi riſoluto di ſtare in Sicilia tutta queſta eſtate per molte neceſſarie cauſe, è forza, che ſcriva a V. S. alcune coſe, che più volentieri riſerberei alla viſta voſtra; ma in queſto mezzo deſidero, che per lettere ragioniamo un poco inſieme delle Medaglie, *ut ſaepe*. In una di argento di quattro dramme in circa, è un Ercole nudo con una clava nella deſtra, con la quale alta percuote, e con la ſiniſtra tiene un toro per il corno deſtro, con certe lettere fuggite. Ha di roveſcio un'altro Ercole nudo ſacrificante, ovvero turificante, perchè colla deſtra vuota una patera ſopra un'altare, il quale altare è circondato da un ſerpe. Colla ſiniſtra Ercole tiene la clava appoggiata in terra, e dietro lui è una grue, ovvero altro uccello. Le lettere ſono guaſte,



(a) *Cod. Vatic.* 4104. *pag.* 327.

ma ſimili a queſte ΗΥΨΙΑΣ. Deſidero ſapere, ſe V.S. ha viſto altra ſimile, e con quali lettere, ed interpretazione. Ho in bronzo un'altra Medaglia, della quale penſo aver trovato una bella interpretazione, benchè eſſa non è bella, ma brutta, e mal conſervata. Da un canto è la teſta di una donna più oneſta, che bella. Dall'altro canto portano due giovani due perſone ſopra gli omeri. Io credo, che ſia moneta di Catania, e la teſta della Pietà, e li due giovani quelli due fratelli, che portarono ſuoi padre, e madre fuora della terra in un'incendio; de' quali fa menzione Pauſania lib.x., e Virgilio, ovvero altro autore nell'*Aetna* alla fine: *Namque optima proles Amphion, fraterque pari ſub munere fortes &c.* Credo, nelli nomi foſſe varietà fra gli Storici. V.S. mi farà grazia di chiarirſi e con Medaglie, e con Libri, ſe ſono fuor di ſtrada, ovvero in eſſa. Fra le Medaglie dei Siracuſani, ho alcune con una teſta, come di Giove, ma molto più bella, che le ordinarie, con

con queſte lettere ΖΕΥΣ . ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ . dall' altra parte è un fulmine . Penſo , che ſi ritrova in Ariſtotele *lib.* v. *Politicorum* , che morto Gerone li Siracuſani fecero una ſtatua d' oro a queſto Giove , per eſſergli tolta la ſervitù delli delatori del tiranno . Così interpreto un' altra con queſte lettere nella teſta ΔΙΟΣ . ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ , e dietro un' Aquila con un fulmine ΣΙΡΑΚΟΣΙΩΝ . Ed un' altra colla teſta di Diana ΣΩΤΕΙΡΑ , e con un fulmine di roveſcio , volendo dire , che Diana , e Giove gli aveſſe liberati ; e che Diana foſſe Nume tutelare de' Siracuſani . Credo , che lo dica Diodoro Siculo libro VI. , dove dice delli peſci della fontana di Aretuſa ſacri a Diana , e dell' Iſola Ortigia , la quale era una parte della Città di Siracuſa appreſſo Cicerone , Virgilio , Livio , ed altri . Queſti peſci credo , che ſiano quell' iſteſſi , che ſi vedono nelle belle Medaglie Siracuſane di argento attorno di una teſta di donna colla quadriga a roveſcio . Silio Italico lib. XIV. v. 53. *Hic Arethuſa*

*ſuum piſcoſo fonte receptat Alpheon ſacrae portantem ſigna coronae*. E perchè ho una Medaglia, e forſe più (per parlar più a guſto di V. S.) dove è una teſta di una bella donna coronata di foglie di canna, con un toro di roveſcio con due peſci ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, avendo letto, che li fiumi ſi facevano come tori nella favola di Acheloo, ed Ercole, ed altrove, ſono in penſiero, che ſia la teſta di Aretuſa, ed il toro, Alfeo piſcoſo. Non voglio tacere un' altra fantasìa di altre Medaglie pur Siracuſane con un Pegaſo di roveſcio, le quali in argento, e rame ſi trovano molte in Roma, e quà, ed io ſeguendo Giulio Polluce, quelle, che non avevano lettere, l' interpretava Medaglie di Corinto. Ora vedo, che Bellorofonte, ed altri Corinti vennero con Archia, e fondarono Siracuſa, come trovo ſcritto da uno Storico moderno, il quale cita Tucidide libro VI., Strabone lib VIII., Dioniſ. Alicar. libro I., e l' interprete di Teocrito, ma non dice dove. V. S. mi faccia grazia di vederlo, dove parla Teocri-

Teocrito di Bellorofonte. Queſto Archia dicono, che foſſe delli deſcendenti di Alceo figliuolo di Ercole; e per queſto penſo, che in alcune Medaglie di Siracuſa ſi trova una teſta di un giovane con l' exuvie d' Ercole, la qual teſta io credeva, che foſſe di Aleſſandro. Non sò, ſe ho ragionato a guſto di V. S., pure avrò dato occaſione, che mi riſponda, e che mi faccia ſapere, ſe il Sig. Annibale Caro ſi trova in Roma, al quale dia li miei ſaluti ſtrettiſſimamente, e proſit l' affinità con Sua Santità, e Camerino. Addio. Da Palermo alli 3. di Giugno del M. D. LX.

Di V. S. A. A.

## LETTERA III.

*Del medeſimo ad Onofrio Panvinio* (a).

Reverendo Padre ſingolariſſimo.

LA voſtra delli 10. di Decembre mi trova fuor di Lerida nella Viſita, dove non ho Medaglie, nè Libri per ſatisfar al deſiderio



(a) *Cod. Vatic. 6412. pag. 246.*

di tante coſe, come ad un tempo volete. Il peggio è, che non ho ivi deſignatore, ſe non certi, che depingono nel muro per eccellenza una battaglia di φτιζί (*), e gatti, e qualche ſcimiotto, o papagallo. Pure con parole cercherò di ſatisfarvi, benchè ſiate il Maſtro di turto quello, che vi potrò dire, ed in Roma ci è ogni coſa, e il microcoſmo, come dice non sò chi Greco. Delli Libri di Medaglie ho ſmarrito il Libro delli XII. Ceſari del Vico, ho bene il Ceſare Dittatore, e le Auguſte. Ho ancora l'Erice, ed il Franceſe Choul, il Golzio non ho viſto, ma intendo, che finiſce nelli percuſſori di Ceſare, e che non è aſſai copioſo delli ſuperiori. Quelli, che ho viſto, mi pare ſi gabbino in molte Medaglie finte, che eſſi pigliano per vere, ed alcune vere dichiarano male, ed altre diſegnano etiam male, in alcune coſe comuni ſi ſtendono, le difficili tralaſciano, come molti interpreti di Libri; e qualche volta nelle comuni vanno a capi-

(*) *Così ſtà nel Ms.*

a capitolo, come fa l'Erice in provare, che le Medaglie non furono mai monete, con argomenti, che provano appunto, che furono. Pure alli principianti giovano tali Libri, ed a chi non ha modo di aver le Medaglie iſteſſe. Deſidero, che l' Iſtoria voſtra Eccleſiaſtica vada innanzi, la quale vi può immortalare più, che queſte altre ciance, benchè ſiate atto per cicalare di ogni coſa bene. Queſta eſtate meſſi in ordine certe famiglie Romane, e nelli voſtri Faſti trovai alcune coſe, che potrebbono mutarſi, e vorrei mandarvele. Come ritorno dalla Viſita, che ſarà fra un meſe, ve li manderò con queſte altre baie, che volete, ſe avrò un poco di ozio. Ma ſe il voſtro Padrone ha i Libri del Pirro noſtro, lì trovarete ogni coſa a tutto paſto, ed a merenda. e colazione. Interim vale, mi Panvinie, (pane, & vino dulcior). Dat. in Tamarid alli x. di Febraro del M. D. LXVII.

Di Voſtra Magnificenza

A. A. Ilerd.

## LETTERA IV.

*Del medeſimo a Fulvio Orſino* (a).

Sig. Fulvio mio ſingolariſſimo.

HO differito di riſpondere a una di V.S. data alla fine di Settembre, ricevuta in Barcellona dal meſe di Ottobre, penſando in breve ritornare al mio nido. *Tandem aliquando huc pervenimus* tre dì ſono, ed eccovi la riſpoſta *non cumulatiore cumulo*, Eſiodicamente, ma come poſſo. Dite, che avete perſo gli Antiquari Onofrio, Egio morti, e Pirro, e Manuzio aſſenti; mi condoglio con eſſo voi, *ſed quouſque*? Così ſi vive morendo, il tempo vola, e tutti corremo pigliando per un piacere cento faſtidi. Promettete di ſcrivermi ſpeſſo, e ſete non più, che li Parti, e Peni verace. Della Tavola Greca, e Latina mi rallegro, ma che aſpettate a pubblicarla? Il Conſolato di Catulo, e Lepido fu principio dell' Iſtorie di Salluſtio, come ſi vede nelle parole relate da

(a) *Cod. Vatic.* 4105. *pag.* 70.

da Priſciano, e Rufino, come credo *de numeris*. L. Cornelio Siſenna ſcriſſe la guerra Italica, ed il Civile ſotto Silla *non ſatis libero ore*, come nota eſſo Salluſtio nel Iugurtino. E' lodato magramente da Cicerone in più luoghi. Ho raccolto gli Autori da me notati in un' altra carta, che fanno menzione di Siſenna. In Medaglie trovo in argento CN. CORNEL. L. F. SISENA, ed in bronzo dal tempo di Auguſto APRONIVS. MESSALA. III. VIR., SISENNA. GALVS. A. A. A. F. F., ed in altro SISENNA. MESSALA. APRONIVS. GALLVS. III. VIR. A. A. A. F. F.; ed in altro SISIINA. PR. COS. L. SΔI. ... Ho viſto queſta ſcrittura II pro E in alcune iſcrizioni, ed ho giudicato eſſer nota di H per diſtinguere le vocali lunghe dalle brevi, ma in Plutarco Siſenna ſi ſcrive per ξ. SΔI. ... interpreto *Statili*. La Pretura di Siſenna in quel Conſolato mi fa ricordare, che non sò, come poſſa accordare le parole di Cicerone con quelle di Paterculo. Fa Cicerone menzione dell' Iſtorie di Siſenna in bocca di Antonio

tonio molti anni avanti della guerra Civile di Silla; e Paterculo dice, che ſcriſſe le Iſtorie molti anni dopo eſſendo vecchio. Queſto ſcriveva fidatomi della memoria, e penſando la ſoluzione di queſto argomento, vidi, che pigliavo errore, che Antonio non fa menzione di Siſenna, ſe non di Celio Antipater. Ma nell' Orazione pro Cornelio nelli fragmenti ſalvati da Aſconio ſi fa menzione della Pretura di eſſo Siſenna, e Plutarco nella vita di Lucullo nota, come Siſenna Iſtorico, ed Orteſio Oratore fecero, come per burla, che Lucullo giovane ſcriveſſe il Bello Marſico in Greco, e non sò, ſe ſia vero quello, che afferma Seb. Corrado nel Bruto, Plutarco aver detto, che Siſenna ſcriſſe in Greco, come nell' interpretazione delli verſi di Ovidio, non intende eſſere altra Opera le *Mileſiae Fabulae* tradotte da Ariſtide dell' altre Iſtorie. E così io trovo in Nonio, ed altri, citati luoghi latini dell'Iſtorie, dove ſono coſe chiare del Bello Marſico, ed altri luoghi delle Mileſie. Quanto

alli

alli tre Greci onorati nella voſtra Favola, non ho coſa a propoſito; ſi potrà cercare nell'Iſtorici di quelle guerre. Eſſendo chiaro, che lo Storico foſſe Lucio, facilmente ſi potrà credere eſſere ſuo figliuolo CN. il monetale, eſſendo L.F., e forſe inſieme con Meſſala, e con Apronio Gallo al tempo di Auguſto, e così il medeſimo figliuolo fu Proconſole, e ſuo Queſtore, o Proqueſtore quel Statilio dell'altra Medaglia. Quanto alli due nomi di Sulpizio Iuriſconſulto, non ho coſa certa, nè credo ſi poſſa dimoſtrare in antichità; li moderni pigliano de' granchi ſpeſſo. *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus*, ſi trova nelle Filippiche parlando con parole di S. C. ſopra la ſtatua di eſſo Sulpicio. Ed in una Medaglia di argomento SER. SVLPICIVS. RVFVS III. VIR., M. BIBVLVS IMP., la qual moneta credo foſſe fatta dal figliuolo del Iuriſconſulto, eſſendo Bibulo Imperatore in Siria, o Aſia, ſe non m' inganno, al tempo del Proconſolato di Cicerone in Cilicia. La voſtra, dove ſi legge *L. Servius Rufus*, è for-

è forſe errata per dire *L. Servilius*, ovvero *L. Sergius Rufus*; ovvero diremo, che foſſe nome di famiglia *Servius* in ſola queſta voſtra Medaglia. Il luogo di Nepote *in vita Attici* è guaſto, e credo ſi debba levar via la parola *Servio*, e che reſti *M. fratri Sulpicii*: e credo, che qualcuno ſcriveſſe Servio in margine, credendo, che parlaſſe del Iuriſconſulto. Ed avvertite, che gli Rufi erano Patrici, come dice Cicerone *pro Muraena*; e queſto Marco era fratello di P. Sulpicio Trib. Pl., e così plebeio. Dunque tutti i Sulpici patrici, e plebei ſi dicevano Servii? non lo crederà Marſodio. Trovo in Plutarco nella vita di Galba, (il quale era Sulpicio, e Patricio, non Sergio, come il volgo crede), che era delli Servii. Ecco dunque un' altro ſcrupulo; tuttavia mi perdoni Plutarco col ſuo parlare improprio, che volendo dire eſſer nobile patricio per padre, diſſe la nobilta de' Servii, intendendo per il pronome la famiglia; come ſe voleſſe dire uno delli Claudi, e diceſſe degli

degli Appii, perchè come nelli Claudi ſi trova il pronome di Appio ſpeſſo, e non è frequente in altri, così degli Sulpici è familiare *Servio*. *Hoc placet*. Ricordatevi di Cicerone, che ſcrivendo ad Appio Claudio, uſa di Appietate, e Lentuliate per dire queſte voſtre nobiltà di fumo, non perchè Appio ſia nome di famiglia, ma perchè ſi uſava nella Claudia ſpeſſo. Nel numero di più ſi potrà comportare M. SER. SVLPICII. RVFI, per dire Marco, e Servio Sulpici Ruſi.

Vengo al fragmento delle Ferie Latine in Monte Albano, gioia degna di eſſere conſervata. Solamente dirò aver notato in Dioniſio lib. IV., e nel fine del ſeſto, come ſi facevano tre giorni dette Ferie, (nel ſaſſo ſi nota il primo giorno delli tre), il primo dì da Tarquinio introdotto, il ſecondo *exactis Regibus*, il terzo reconciliataſi la plebe con li Patrici. E nel libro VIII. dice, che li Tribuni non potevano pernottare fuori di Roma, eccetto, che per queſte

Fe-

Ferie, andando con tutti li Magiſtrati al Monte Albano: e per queſto reſtava in Roma un Prefetto *Urbis Latinarum Feriarum cauſſa*, del quale parla Pomponio nel titolo *de origine Iuris*.

Della Colonna di Duilio non ci ho conſiderato altro di quello, che allora ſcriſſi al q. F. Onofrio.

Delle monete di Caio Mario Pro III. Viro del tempo di Auguſto, non ci ho altra conſiderazione, che, come ſi trova Pro Coſ., Pro Pr., e Pro Quaeſt., così Pro III. Viro. Chi foſſe coſtui non mi ſovviene. Di tre di queſto nome ſono chiaro, che avanti Auguſto furono C. Mario VII. Coſ., ed il figliuolo morto in Preneſte, il terzo fu il finto nipote, del quale nelle Epiſt. Fam. ci è menzione. Si trova in argento C. MARI. C. F. CAPIT. S. C. — C. MARIVS. C. F. C. N. - C. MARI. C. F. — M. MAR. Il Libro *de Ludis Circenſibus* vederò volentieri, e li Commentari di Ceſare. Di Medaglie dette Conſolari ho viſto poche in Iſpagna, ed ho fatto poco

poco ſtudio in eſſe, ſolamente ho conſiderato ſopra l'interpretazione di quella del fratello di Africano, L. Scipione ASIAG, al quale tutti dicono Aſiatico, come a' poſteri, de' quali fu uno Conſole an. 670. U. C., che nelli Faſti Capitolini tanto eſſo Lucio, come quell' altro ſono detti Aſiatici, e ſi trova (non appreſſo me) una Medaglia di argento così inſcritta L. SCIPIO. ASIATIC. Tuttavia quella più frequente non è ben copiata dal curioſiſſimo Uberto Golzio, il quale ſcrive ASIA. G. Io ho viſto molte così ſcritte L. SCIP. ASIAG., e dubitando dell' interpretazione mi ſono riſoluto in *Aſiageta*, ovvero *Aſiagetes*, ed ho in mio favore un ſolo verſo di Sidonio Apollinare aſſai guaſto, e corrotto. Scrive queſto Autore:

*Vae mihi qualis eram, cum per mea iuſſa iuberet*
*Sylla, Aſiae gentes, Curius, Paullus, Pompeius,*
*Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Perſae, Mithridati*

*Pa-*

*Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum.*

Intendo, che in Libri antichi pro *Asiae gentes* si trova *Asiagenes*, a me piace *Asiagetes*, ed è molto vicino alla scrittura, e la sentenza ricerca, che si parli di Lucio Asiatico, che vinse Antioco, come Silla a Tigrane, Curio a Pirro, Paulo a Persa, Pompeio a Mitridate. Di Apolline Arcageta si trova una Medaglia appresso me ΤΑΥΡΟ ΜΕΝΙΤΑΝ -- ΑΡΚΑΤΕΤΑ, ed in Tucidide lib. VI. si trova questo cognome, ma per H. Resta una difficoltà, ed è la quantità della sillaba *ge* in *Asiagetes*, ed in *Asiagenes*, che essendo breve il verso desidera E longa. Di questo scrupulo desidero essere levato, o diremo, che Sidonio usò libertà in questa sillaba, come Prudenzio, ed altri in molti nomi Greci. V. S. mi dirà suo parere. Item in questo, che tutti i moderni Poliziano, Budeo, Alciato, ed altri diciamo *Pandectae Florentinae*, e tutti gli antichi li danno articolo masco-

maſcolino, declinando ὁ παυδίκτης, τῦ παυδίκτυ. Si trova in Suida τοῖς παυδίκταις, benchè non dica il nome dell' Autore. V. S. mi faccia grazia di vedere, ſe potrà indovinare chi ſia, e ſe ha oſſervato in altri Libri queſto nome. Io ho trovato Iſcrizione di un Teologo detto Antioco, del quale deſidero le parole del teſto, che non l'ho Greco, ma l'interprete uomo dotto, ſe ne accorge di queſto abuſo de' moderni. Item Tullio Tirone fece un Libro così detto, come riferiſce Gellio, e Cariſio. Trovaſi nel Prologo di Plinio, e nel Libro de' Digeſti Fiorentini, ed in Teofilo, ed in Apicio corrotto. Tutti i Leſſici moderni errano nell' articolo, nell' accento, e nella declinazione, ed uno cita a Teofilo τῷ παυδίκτῳ falſamente, perchè in Teofilo tre volte ſi legge τῦ παυδίκτυ, e non altrimente. *Sat prata biberunt. Vale.* A' 24. di Febraro 1571. in Lerida

Di V. S.

A. A. Ilerden.

## LETTERA V.

### *Di Matteo Bruno a Franceſco Bolognetti del Reggimento di Bologna* (a).

Molto Magnifico Sig. mio Oſsmo.

E' Ben vero, che le Leggi non hanno conformità alcuna con la Poesìa, pure io trovo, che alcuna volta i Leggiſti hanno fatto profeſſione ancora di quella, come ſi legge nelli argomenti di Virgilio, ed anco il Petrarca il dimoſtra in quella ſua Canzone, che comincia: *Quell' antico mio dolce empio Signore*. Ed alcuna volta noi altri per fuggire la noia, e travaglio di queſto ſtudio, e per pigliare qualche diletrazione, ci dilettamo di legger queſte Poesìe volgari, però ho voluto con l'altra mia pregar V. S.

(a) *Dall' originale, che ſtava in Caſa Bolognetti, ove ſi trovavano ancora altre* IV. *Lettere del medeſimo ſcritte allo ſteſſo nell' anno ſeguente ſopra il Nipote Giovanni, che ſtava a ſtudio in Bologna; ſiccome altre pure ve n' ha del ſuddetto Giovanni ſcritta al Bolognetti, ma sì queſta, che quelle non contengono, che coſe di poca importanza. Ora ſtanno preſſo Monſig. Giuſeppe Garampi.*

V. S. a farmi un dono di quelle ſue Rime, come altre volte Ella me ne fece di quelle, che ſcriſſe ſopra gli ornamenti delle Donne, e di quelle, che ſcriſſe al Sig. Girolamo Focari, ed al Sig. Emilio Malvezzi, ed avendomele ora mandate con la ſua, le ho accettate molto volentieri, e ne ringrazio V.S. infinitamente, e già le ho date al legatore per legarle, ed avutole, mi forzerò vederle con qualche comodità, e dipoi darò avviſo a V. S. di quel, che ne ſentirò; benchè non avranno biſogno di mia ſentenza, perchè io non atto a dar giudizio delle coſe ſue. Ringrazio V. S. ancora dell' avviſo datomi di Monſig. Illmo Paleotto, e la cauſa, perchè non ho avuto riſpoſta della mia da ſua Illma Signoria. Io me ne ſtarò con queſta amorevoliſſima offerta, e quando mi farà biſogno, me ne prevalerò, ſendo io ſicuro, che ſua Illma Signoria non mi mancherà di favore, quando mi occorrerà, come ha fatto per il paſſato. Mi è ſtato grato ancora intendere del Sig. Al-

berto (a); prego ben V. S., che quando li ſcriverà, ſi degni mandarli in mio nome infinite raccomandazioni, e con queſto fine di cuore bacio la mano di V. S., e la prego a conſervarmi nella buona grazia di Monſig. Illmo Paleotto, e del Sig. Cammillo ſuo fratello con baciarli le mani in mio nome. Da Rimino alli XII. di Marzo del MDLXVI.

Di V.S. MM. Affezmo Ser.re
Matteo Bruno.

## LETTERA VI.

### *Di Gio. Batiſta Guarini a Franceſco Bolognetti.*

Molto magnifico Sig. mio Oſsmo.

SOno ſtato così tardi a dar riſpoſta alla ſua amorevoliſſima lettera aſpettando di far due colpi in un tiro, cioè mandarli queſta lettera direttiva al Sig. Carlo Sigoni per un negozio, che non è ſtato in ordine prima d' adeſſo. Ringrazio dunque ſenza fine V. S.

(a) *Alberto Bolognetti Giureconſulto Bolognese, fu Nunzio a Firenze, e a Venezia, indi Veſcovo di Maſſa di Maremma, Nunzio in Polonia, e Cardinale per pochi anni.*

V. S. della conſolazione da Lei ſentita del mio accomodamento col Sig. Duca, il quale come che per ogni riſpetto mi deva eſſer caro, mi ſarà nondimeno allora cariſſimo, che io conoſca di poter fare qualche ſervizio a V. S., alla quale ſon tanto obbligato. Ebbi poi le tre belliſſime Epiſtole di Monſig. Rmo Campeggio, delle quali, ſecondo l'ordine ſuo, due ne diſpenſai alli Signori Pigna, e Riccio, che ne baciano infinitamente le mani all'uno, e all'altro delle SS. VV., e la terza ho tenuto per me, e letta con mio grandiſſimo guſto. Con l'incluſa lettera del Sig. Sigoni, la quale mando a V. S. perchè ſia Ella l'appreſentante, ſarà una Orazione fatta da me nell'Ambaſceria, che a' dì paſſati mandò il Sig. Duca mio Signore a Venezia per rallegrarſi col nuovo Principe della ſua creazione, la quale avendo io recitata in quel Senato, piacqui per mia ventura a molti, che l'udirono, ſicchè ſono aſtretto a mandarla alla ſtampa. Ora io la invio al Sig. Sigoni,

perchè, come oro, che nel fuoco affina; pigli qualche parte di perfezione dal ſuo molto giudizio: ma mi è parſo di fare, che V. S. ſia quella, che la dia, ed inſieme colla ſua autorità l' aſtringa a ſervirmi, com' è dovere in queſti caſi di ſervir gli amici, non per adulazione, ma per verità. Il ſoggetto è da ſe aridiſſimo, avendo avuto per mia ſventura a parlare di un Principe, che nè mai ſeppe, nè mai fece nulla, e pure è ſtato forza a lodarlo. Deſidero, che Sua Signoria mi ſpediſca preſtiſſimo, perchè io ſono aſſai importunato, e però così prego V. S., che procuri la preſtezza, come il ſervizio medeſimo. Appreſſo il giudizio del Sig. Carlo, sò bene, che non può ſe non giovare anco quello di V. S., la quale ſe anco in queſto mi gioverà, come il ſervizio ſarà maggiore, così l' obbligo riuſcirà duplicato. E con queſto fine le bacio le mani, e deſidero ſaper nuova del ſuo mirabiliſſimo figliuolo, del quale non ho udito parola, poichè lo laſciai partendo a Bologna.

logna. N. S. Dio la proſperi lungamente. Mando queſt' uomo a poſta, acciocchè ſerva per memoria a V. S. di rimandarlomi quanto prima eſpedito. Di Ferrara li v. di Gennaio MDLXVIII.

Di V.S. Gio. Batiſta Guarini.

## LETTERA VII.

*Del medeſimo allo ſteſſo.*

Molto magnifico Sig. mio Oſsmo.

RIcevuta che io ebbi la lettera ſua, trovai ſubito lo ſtampatore, e con lui lungamente diſcorſi del ſervizio di V. S., il quale mi riſolſe in poche parole, che per aver egli ſpeſo aſſai nel Volume dell' Iſtoria, che fa ſtampare il Sig. Duca noſtro, la quale ha tolto a fare a tutte ſue ſpeſe, non può gravarſi di maggior ſomma, ma che piacendo a V. S. di far la ſpeſa, e pagare a lui l'opera, l'accetterà molto volentieri. E`ben vero, che del prezzo non ha voluto reſtar d' accordo meco, deſiderando egli ſaper prima di quanti fogli ſia l'Opera, e quanti volumi

lumi Ella ne voglia ; le quali condizioni ( quando pur ſi riſolva a queſto partito ) mandando V. S. a me , ſpererò , che ſia per eſſer compiaciuta , e ſervita con quel maggior vantaggio , che ſarà poſſibile. E perchè ſia beniſſimo informata di ogni coſa , le mando una moſtra di caratteri , acciocchè ſcielga qual più le piaccia per far queſt'Opera. E ſe in altro la poſſo ſervire mi comandi , come a perſona deſideroſa , e obbligata a farlo. Baciole la mano , e prego Dio , che lungamente la conſervi. Di Ferrara li xv. di Gennaio MDLXVIIII.

Di V.S. Gio. Batiſta Guarini.

M. VA-

# M. VALERII MARTIALIS
# S. DAMASI PAPAE
## ET
# VALERIAE FALCONIAE PROBAE
## *CARMINA ANECDOTA*

EX VARIIS MSS. CODD.

*NUNC PRIMUM EDITA*

Additis etiam pluribus variantibus lectionibus
ex iisdem Codicibus excerptis.

# IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

*AD DOCTISSIMUM AC NOBILISSIMUM VIRUM*

# CAROLUM MOSCAM BARZIUM

EQUITEM COMITEM ET MARCHIONEM

## PRAEFATIO.

*QVos nunc primum profero, quoſque in inſtructiſſima Piſaurenſi* Collectione omnium Poematum, Carminum, & Fragmentorum Latinorum (a) *edendos verſus, ſi tunc mihi innotuiſſent, ad te, Eques nobiliſſime, qui ipſam ingenti ſumptu, & magnanimo conſilio curaſti, vel ad Paſchalem Amatium Populaream meum longe eruditiſſimum, cuius egregia opera in tanta re perficienda utebaris, miſiſſem, ut alia etiam non pauca tunc temporis communicavi, ſmas nunc modo tuo inſcriptos nomini, ac tuae commendatos clientelae in Eruditorum lucem prodire. Commode Vir Cl. Iohannes Aloyſius Mingarellius Abbas, & Procurator Generalis Canonicorum Regularium S. Salvatoris pro ſua in me humanitate, ac munificentia ſane non vulgari communicavit Epigramma M. Valerii Martialis ex Cod. Ms. membranaceo ſaec. XIV. Bibliothecae S. Salvatoris Bononiae, quod eſt ad quemdam Trebonum, quodque temporis ratione primum locum ſortitus eſt. Codex, quem diximus,*

(a) *Piſauri* CIↃIↃCCLXVI. *ex Amatina Chalcographia Tom.* VI. *in* 4.

*mus, Epigramma hoc exhibet libro* XI. *poſt Epigramma* LII., *atque in Codicis margine exaratum cernitur. Stilus ſane, & luſus a Martiale non abhorret, ac forte ex vetuſtiori Codice petitum Epigramma hoc ipſum dein Bononienſi Codici acceſſit. Deeſt quidem tum in omnibus editionibus, tum etiam in editione Cornelii Schreverii* (a), *qui* XXI. *Epigrammata Martiali tributa ad calcem recenſuit. Habet inſuper laudatus Codex variantes quaſdam Lectiones ſane non aſpernandas, quas ſubiungere in ima ora paginae non inutile duximus. Hic accedit, eodem Mingarellio largiente, Sancti Damaſi Papae Epiſtolium, decem conſtans verſibus, ad quemdam Fratrem corripiendum; erutum ex Membranis quibuſdam olim Bibliothecae ampliſſimi Cardinalis, & affinis tui Dominici Paſſioneii, nunc vero Angelicae Eremitarum Auguſtinenſium in Urbe, cui dein ipſa adhaeſit. Tandem ex altero Paſſioneiano Codice nonnullos anecdotos verſus Falconiae Probae doctiſſimae Feminae per laudatum Mingarellium exſcriptos exhibemus; nec plures etiam variantes Lectiones, quae ad eius notiſſimum Virgilianum Centonem pertinent, quaeque in ſupraſcripto Codice proſtant, heic nunc deeſſe patiemur. Codex hic ſcriptus apparet ſaeculo* XV., *ac pag.*134. *habetur* Prologus Semproniae Probae Hortanae Feminae doctiſs. ad Honorium Aug. Theodoſii Magni F., & Arcadii Aug Fratrem in ſuum Virgilio Centona, repertus a Petro Seb. Florentiae. *Prologus tamen ſcriptus eſt ſaeculo* XVI., *hicque*

(a) *Lugduni Batav.* 1656. *pag.*787.

*bicque a nonnullis tributus eſt C. Sedulio Presbytero , tamquam eiuſdem ad Theodoſium Auguſtum dedicatio . Aſt ipſum Fabricius , qui edidit , Sedulii eſſe negavit , ac Falconiae Probae reſtituit . Ceterum inter Sedulii Carmina ipſum locavit Amatius noſter* (a) *, ſequutus editionem , quam ſibi propoſuerat . Prologum , quem diximus , in laudato Codice ſequitur Iohannis Boccaccii fragmentum* de Proba Adelphi Coniuge ; *tum Carmen ipſius Probae , quod ſic inſcribitur* : Incipit praefatio in Virgilio Centonam Probae ingenioſiſſimae feminae gentilium Carmina ad obſequium fidei retorquentis . *Ad calcem vero haec habentur* : Explicit Virgilio Centona Probae , cuius Homero Centonam non habet latinitas , ſicut Virgilio Centonam eius non habet graecia ; ſtuduit enim utramque gentem ad fidem Catholicam invitare priorum documentis Auctorum . *Mingarellius noſter contulit haec Probae Carmina cum Bononienſi editione* (b) *peracta a Thoma Simeonio , & ad eius tramites exſtantiores notavit lectionum diſcrepantias ; at nos rurſus eius apographum cum Piſaurenſi tua editione* (c) *contulimus , in qua cum earum multas receptas deprehenderimus , eas idcirco conſulto omiſimus , dum ceteris in ima ora locum fecimus . De Falconia Proba quid dicere praeſtat poſt Fabricium , qui ipſam illuſtravit in utraque Bibliotheca , ſcilicet in latina vetere , & in altera mediae , & infimae latinitatis , tum etiam*

*poſt*

(a) *Tom.* v. *pag.* 331.
(b) *Anni* CIↃIↃCXCII. *in* 4.
(c) *Tom.* v. *pag.* 160.

*poſt Praeſulem Cl. Iuſtum Fontaninium, qui in* Antiquitatibus Hortae (a) *de eadem pleniſſime diſſerit? Tibi, qui ita comparatus es, ut profanorum, ac incredulorum Mathematicas diſciplinas in Fidei, ac Religionis noſtrae propugnaculum converteris* (b), *quibus ad illarum myſteria tum guſtanda, tum reverenda eorumdem ſtudiis, quae non ita ſtatim refugiant, ac faſtidiant, invitares, gratum praeſertim erit praeeuntem quodammodo in hoc ipſo conſilio nunc cernere doctiſſimam Feminam, quae nimirum Ethnicos ipſis veterum Auctorum Carminibus, quibus rapiebantur, ad Chriſtiana dogmata allicere tentavit. Oſculaberis inſuper pro tua pietate ſacros Sanctiſſimi Pontificis Damaſi verſus; nec pro tua eruditione aſpernaberis quinetiam Valerii Martialis Epigramma, quod & antiquitatis pretio, & modeſtiae, a qua ipſe ſaepe aberrat, commendatione pluris ſane aeſtimandum venit. Quare haec omnia a te facile impetrabunt, ut parumper a Muſis ſeverioribus, quas colis, abſcedas, ac graviſſima purioris Philoſophiae ſtudia abrumpas, quibus ornandis, amplificandiſque operam adeo & ſedulam, & ſtrenuam navas, ut novo etiam, atque eo ſane ingenioſiſſimo ſyſtemate veluti manu monſtrandum illud phaenomeni myſterium aggreſſus fueris, cuius cognoſcendi, explicandique deſperatione Ariſtotelem olim ſe in Euripum praecipitaſſe vulgo circum-*

(a) *Lib.* II. *cap.* I., & *Tom.* VIII. *Theſaur. Scriptor. Ital. Part.* III.

(b) La Matematica fatta guida per credere, Lettera ſcritta ad un' Amico dal Cav. Carlo Moſca Barzi. In Roma 1772. in 4.

*circumfertur* (a); *neque etiam univerſalem Noachicum Cataclyſmum tuis intactum illuſtrationum tentaminibus reliqueris* (b). *Erunt haec etiam, per me nomini tuo dicata, quantulacumque ea demum ſint, argumentum ſane luculentiſſimum, certiſſimumque meae in te obſervantiae, ac benevolentiae, quam quidem non fucatam te iam agnoviſſe confido, tum etiam ingenuum grati erga te animi mei monumentum, non id certe, quod deberem, ac vellem, ſed quod hoc tempore, atque his viribus unice poſſum. Erunt praeterea etiam alia, & quidem edita, quae tibi in Collectione tua omnium Poematum praetermiſſa, expletis mancis & ipſis Stephani Marcheſellii, quae noſti, paralipomenis, oſtendam* (c). *Illud vero interim tibi perſuadeas velim, tua in me praeſtantiſſima merita, ac benefacta tum ſempiterna memoria me coliturum, tum etiam perenni laude, & commemoratione exorna-*

(a) Saggio di una nuova Spiegazione del fluſſo, e rifluſſo del Mare &c. del Cav. Marcheſe Carlo Moſca Barzi. In Peſaro 1764. Nuove Ragioni ſopra il Saggio *ſuddetto*. In Peſaro 1764. *Utrumque Opus dein excuſum eſt in altero eius Volumine inſcripto*: Penſieri Filoſofici &c. In Peſaro 1769. *in* 4.

(b) Lettera ſcritta al Sig. Marcheſe Gio. Paolucci ſopra una Diſſertazione ſpettante al Diluvio dal Marcheſe Cav. Carlo Moſca Barzi. Seconda edizione. In Venezia 1770. in 4.

(c) Eſame del P. Stefano Marcheſelli ſopra la Raccolta Peſareſe di tutti gli antichi Poeti Latini diviſo in cinque Lettere. Tom. xxi., e ſegg. della Nuova Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici, e filologici, ſtampata in Venezia, e continuata dal Ch. P. Lettore Don Fortunato Mandelli.

*exornaturum. Tandem hoc unum reſtat modo, ut tibi fauſta omnia adprecer, atque inſuper, ſi in re ſeria, ac ſacra quinetiam licet iocari, pudicae Veneri verticordiae votum ſolvam, ut blando eius numine te priſtinae quieti, ac tranquillitati reſtitutum tandem aliquando intelligam. Verumtamen eſt, ne deſperes, ſeverae ſaltem Nemeſis auctoritate, & imperio aliquod tandem ſollicitudini, qua angeris, importari poſſe levamen. Haec, imminente ſalutifero Chriſti Servatoris noſtri Natali, ſint felicitatis omina, quae a me nunc exſpectes. Vale.*

*Datis Roma Idibus Decembris anno Gratiae, CIↃIↃCCLXXIIII.*

# M. VALERII MARTIALIS
## *EPIGRAMMA ANECDOTUM*
## AD TREBONUM
### *Ex Cod. Ms. Membranaceo Bibliothecae Sancti Salvatoris Bononiae.*

DIſpenſator eris per tempora multa, Trebone,
Unum qui leporem multiplicare ſapis.
Unus quippe lepus vix uni ſufficit: at tu
Servando veterem mille facis lepores.

VARIANTES LECTIONES EX EODEM COD. MS.

| Edita exemplaria habent | Codex habet |
|---|---|
| Lib.I. Epigram.63. *abit Helene* | *abit* Thymele. |
| Lib.I. Epigr.109. *pro me dicat avere liber* | *pro me* dicet aveto *liber*. |
| Lib.II. Epigr.60. *tantum dum puerile times* | *tantum* nec, puer Hylle, *times*. |
| Ibidem: *Vae tibi, dum ludis* | *Vae tibi*, qui *ludis*. |
| Lib.II. Epigr.81. *Dum tamen haec tua ſit, Zoile, ſandapila.* | Cum *tamen haec tua ſit, Zoile, ſandapila* eſt. |
| Lib.IV. Epigr.10. *Dum novus eſt, neque adhuc raſa mihi fronte libellus.* | *Dum novus eſt*, & *adhuc* non *raſa fronte libellus*. |
| Lib.IV. Epigr.55. *Haec tam ruſtica malo, quam Biuntos.* | *Haec tam ruſtica malo, quam* Britannos. |
| Lib.IV. Epigr.56. *Munera quod ſenibus, viduiſque ...* | *Munera quod ſenibus*, vetuliſque. |

Lib. VI. Epigram. 21. Codex habet: *Atlantida* pro *Tanthida*, verſu primo. *Exitioſa* pro *exitioſe*, verſu quarto. *Eſſet* pro *iſſet*, verſu ſexto. *Sed tu iam Dea parce Deo* pro *Sed tu iam Dea caede duos*, verſu ultimo.

Lib. VII Ep. ultimo: *Cur uxor la-* *Uxor cur* fertilis, *edam*.
*Etitet*, *edam*

Libro VIII. Epigramma 73. penes Codicem in duo diſpeſcitur. Primum verſu 4. terminatur; alterum incipit: *Cynthia te vatem &c.*

VER-

# VERSUS
# SANCTI DAMASI PAPAE
## AD QUEMDAM FRATREM CORRIPIENDUM (a)

*E Membranis Bibliothecae Paſſioneiae, nunc Angelicae Eremit. Auguſtinenſium* (b).

TItyre, tu fido recubans ſub tegmine Chriſti
Divinos apices (c) ſacro modularis in ore,
Non falſas fabulas (d) ſtudio meditaris inani:
Illis nam capitur felicis gloria vitae,
Iſtis ſuccedent poenae ſine fine perennes.
Unde cave, Frater, vanis ne te ſubdere curis,
Inferni rapiant miſerum ne tartara taetri.
Quin potius ſacras animo ſpirare memento
Scripturas, dapibus ſatiant quae pectora caſtis.
Te Domini ſalvum conſervet gratia ſemper.



(a) *Ita inſcribitur a Librario hoc Epiſtolium.*

(b) *Cod. Ms. membran. ſaeculi* XI. *fol.* 31. *ſign. num.* 87.

(c) *Pſalmos, ut puto, denotat.*

(d) *Haud eleganter primam vocis* fabulas *ſyllabam corripit.*

# *VERSUS NONNULLI ANECDOTI*
# VALERIAE FALCONIAE PROBAE
## HORTANAE FEMINAE DOCTISSIMAE
### *Ex Codice Ms. Bibliothecae Paſſioneio-Angelicae.*

Poſt verſum 42.

UT liquidiſſimus ignis, ut iis exordia primis,
Terrarumque animae, polique, mariſque fuiſſent.

VARIANTES LECTIONES EX EODEM COD. MS.

Spectantes ad Prologum ad Honorium Aug. Theodoſii Magni F., & Arcadii Aug. Fratrem, qui ab aliis tribuitur C. Sedulio Presbytero.

| Editio Piſaurenſis anni 1766. | Codex Paſſion. Angelic. |
|---|---|
| Verſ. 2. *Eoum, qui regna tenes.* | Eoa, *qui regna* regis. |
| 3., & 4. ... *dignare Maronem.* | ..... *dignare*, Maronc. |
| *Mutatum.* | Murato. |
| 5. *Scribendum famulo, quem inſiſti.* | *Scribendum famulo*, qui inſſerat. |

Sequuntur aliae Lectiones variantes ſpectantes ad Centonem ipſum Virgilianum.

| Editio Piſaurenſis anni 1766. | Codex Paſſion. Angelic. |
|---|---|
| Verſ 4. *pollutas caede.* | pollutos *caede.* |
| 6. *conſperſos tulerat,* | *conſperſos* tulerit. |
| Ibid. *quod fama triumphos.* | *quos* Roma *triumphos.* |

Verſ. 7.

Verſ. 7. *Innumeris totiens.* Innumeras *totiens.*
9. *Sacrum praecor.* Sanctum precor.
10. *aeternumque tui.* aeternique *tui.*
12. *poſſim Vatis proba.* *poſſim* Vates Proba.
14. *nec libet aonio.* non *libet aonio.*
15. *loqui vanus perſuadeat horror.* *loqui* magnus *perſuadeat* error.
16. *Laurigeroſque ſequi.* Laurigeraſque *ſequi.*
17. *Iurganteſque Deas.* *Iurganteſque* Deos.
21. *ſanctae libamina pacis.* ſacrae *libamina* lueis.
24. *repetens ab origine pandam.* *repetens ab origine* pergam.
25. *ſiqua fides animo.* *ſiqua fides* animi.
26. *& toto ſe corpore.* *&* magno *ſe corpore.*
29. *o pater, o hominum.* *o pater*, oque *hominum.*
36. *Iam pridem memini veterum monimenta virorum.* Nam *memini veterum* volvens *monimenta* ſacrorum.
37. *Muſeum ante omnes totum.* *Muſeum ante* alios noſtrum.
38. *fuerint, & quae ventura.* *fuerint*, quae mox *ventura.*
41. *Unde hominum.* Inde *hominum.*

Vid. ſuperius in textu duo verſus, qui ſequuntur. In Codicis margine ad latus verſiculi: *Ut liquidiſſimus &c.* ſcriptus eſt hic verſus: *Et ſi quid ſimul ignis habet, vel mobilis humor*, qui eſt in editione.

44. *creſcentis origine.* *creſcentis* imagine.

## De quatuor temporibus anni.

Verſ 5. pag. 74. *ut certis poſſemus.* *ut certis* poſſimus.

### Dies primus.

Verſ. 5. *Et variae pelagi facies, immania cete.* Tunc *variae* Comitum *facies*, *immania cete.*
7. *circuibant aequora.* *circuibant* humida.
8. *Iam ſole infuſo.* *Iam* caelo *infuſo.*
9. *rorem ſimul diſpargit.* *rorem* late diſpergit.

### Dies ſecundus.

Verſ 2. *Fudit humus,* fundit *humus.*

### Dies tertius.

Verſ. 4. *ceſſabat turtur.* ceſſavit *turtur.*

### Dies quintus, & ſextus.

Verſ. 3. *genitor perfectis ordine rebus,* *genitor* diverſis orbibus orbes.
5. *Terrarum, tractuſque.* Terraſque, *tractuſque.*

De formatione primi hominis.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 5 | *Proceſſit nova.* | Procedit *nova.* |
| Ibid. | *pulcherrima rerum.* | *pulcherrima* primum. |
| 6. | *ſimilis, cui mentem, animumque.* | *ſimilis* mentemque, *animumque.* |

De formatione Evae.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 9. | *clara cum luce.* | claraque in *luce.* |
| 10. | *Inſignis facies, & pulchro.* | *Inſignis* facieque, *& pulchro.* |

Deum protoplaſtum, & Evam benedixiſſe.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 2. | *Iuſſit : eo dicente.* | Inſit : *eo dicente.* |
| 4. | *Interque virentia culta.* | *interque* nitentia *culta.* |

Quid prohibitum primis Parentibus.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 2. | *brachia tendens.* | *brachia* pandens. |
| 9. | *liceat te voce.* | *liceat* nec *voce.* |
| 10. | *nec te ullius violentia.* | *nec te* unquam *ullius violentia.* |

De deliciis Paradiſi.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 4. | *ſub limine ſolis, & ortus.* | *ſub* lumine *ſolis* adorti. |
| 11. | *croceis halantes floribus.* | *croceis* pallentes *floribus.* |

Tentatio per ſerpentem.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 5. | *ramo frondente.* | *ramo* florente. |
| 7. | *Iraeque, invidiaeque, & noxia crimina.* | *Iraeque*, inſidiaeque, & crimina noxia. |
| 19. | *Varia ſuperſtitio.* | Una *ſuperſtitio.* |

Verſus alter anecdotus poſt verſ. 19. tit: *Tentatio per ſerpentem.*

Quo vitam dedit aeternam, cur mortis adempta eſt
Conditio &c.

Sequuntur variantes lectiones.

Eva ſeducta ſeducit virum.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 2. | *ſubiiciunt epulis oculi.* | *ſubiiciunt epulis* olim. |

Vident ſe nudos &c.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ. 5. | *hominum ſator, atque deorum.* | *hominum*, rerumque repertor. |
| 6. | *Obſervans oculis.* | Proſpiciens *oculis.* |
| 7. | *notumque furens.* | Novitque *furens.* |

Adam

Adam abſcondit ſe.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.1. | *Dira frementem.* | Dura *frementem.* |
| 3. | *ſilvaſque, & ficubi.* | ſilvas, *& ficubi.* |
| 4. | *lucemque, nec auras.* | luciſque, *nec auras.* |
| 5. | *Reſpiciunt.* | Deſpiciunt. |

Increpat Adam Dominus.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.1. | *creber ad aures.* | *creber ad* auras. |
| 2. | *per umbram.* | *per* umbras. |
| 3. | *Talibus affatur.* | *Talibus* alloquitur. |
| 5. | *furor ille.* | *furor* iſte. |

Poſt verſum ſextum in Codice ſic legitur: *Maturate fugam, totoque abſiſtite luco, Dicite, quae* regnis *miſeris tam dira cupido. Nec revocare &c.* Qui in Edito praecedit verſus, in Codice ſubſequitur.

Adam ſe excuſat.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.2. | *Merui, nec deprecor.* | memini, *nec deprecor.* |
| 4. | *monitique ſiniſtri.* | monituſque *ſiniſtri.* |

Maledictum ſerpentem.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.5. | *Mala gramina paſces.* | *mala* ſemina paſtus? |

Maledictum Adam.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.8. | *exſpectabis acervum.* | ſpectabis *acervum.* |
| 11. | *& divae rapit.* | *&* durae *rapit.* |

Maledictam Evam.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.1. | *o ſaeviſſima coniux.* | o ſanctiſſima coniunx. |
| 2. | *commiſſa tibi: hen.* | *commiſſa tibi* eſt: *hen.* |
| 5. | *quod tota mente.* | tota quod *mente.* |

Expulſos Adam, & Evam &c.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.4. | *feſtinant rapidis, iuſſique.* | *feſtinant* iuſſi, rapidiſque. |
| 7. | *veſtigia figunt.* | *veſtigia* fingunt. |

Evam peperiſſe duos filios.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.5. | *gramina tuto.* | *gramine* toto. |
| 7. | *udoque docent moleſcere ſucco.* | *udoque docent* molleſcere libro. |

Abel a fratre occiditur.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.1. | *adolent.* | adolet. |
| 2. | *Alter, & alterius.* | *alter* in *alterius.* |

Poſt occiſum Abel, Deus &c.

| | | |
|---|---|---|
| Verſ.5. | *frumentis labor.* | frumenti *labor.* |

Verſus alter anecdotus poſt verſ.6. tit: *Poſt occiſum Abel &c.*

Tunc almos primum fulvi ſenſere carinas.

Sequuntur variantes lectiones.

| | |
|---|---|
| Verſ.10. *paulatim decolor.* | *paulatim*, ac *decolor.* |
| De diluvio. | |
| Verſ.2. *Tellurem effundit.* | *Tellurem* infundit. |
| 3. *diluvio miſcens.* | diluvium *miſcens.* |
| Noe ſervatur. | |
| Verſ.2. *qui fuit in terris &* | *qui fuit* inventus & |
| 3. *tantis ſurgentibus.* | *tantis* fulgentibus. |
| Poſt diluvium Deus &c, | |
| Verſ.3. *quid memorem.* | *quid* numerem. |
| Ibid. *facta tyranni.* | *facta* tyrannum. |
| 8. *magna virum.* | *magna* viri. |
| 9. *Sacerdotes adſint.* | *Sacerdotes adſunt.* |
| De Novo Teſtamento &c. | |
| Verſ.8. *adventumque Dei, cum* | *adventumque* tui quo |
| 11. *ſed quia terrifico.* | ſacraque terrifici. |
| De Nativitate I. C. | |
| Verſ.3. *miſſa ſub imperio.* | miſsus in imperium. |
| 4. *miſta Deo ſubiit.* | magna *Deo ſubiit.* |
| De ſtella, & Magis. | |
| Verſ.2. *magna cum luce reſulſit.* | multa *cum luce* cucurrit. |
| 3. *proceres, cunctique repente.* | *proceres*, cunctiſque *repente.* |
| 6. *nomen virtutis, Chriſtique agnoſcere vultum.* | *nomen* erat *virtutis*, & ipſi *agnoſce re* vultus. |
| Metuiſſe Herodem &c. | |
| Verſ.1. *clamore furentem.* | *clamore* cruentum. |
| 2. *magnaſque acuit.* | magniſque *acuit.* |
| 4. *haud inſcia.* | *haud* neſcia. |
| Herodes jubet occidi Infantes. | |
| Verſ.5. *urbem terroribus.* | *urbem* clamoribus. |
| | *At in Cod.* |
| Fugit Virgo cum Filio in Aegyptum. | Mater Domini in Aegyptum ſeceſſit cum Filio. |
| Verſ.2. *ipſa manu prae ſe.* | *ipſa* ſimul *prae ſe.* |
| Ibid. *turbante tumultu.* | *turbante* tumultum. |

Verſ.3.

| | |
|---|---|
| Verſ.3. *plena ad praeſepia.* | media *ad praeſepia.* |
| 6. *Haec tibi prima.* | Hic *tibi prima.* |
| Chriſtus diſputat &c. | *In Codice nullus titulus:* |
| Verſ.3. *ante annos animum geſtans caeleſtis origo.* | *ante* omnes *annos animumque* ges tens *caeleſtis origo.* |
| Mirantur omnes Chriſtum. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.5. ſic ſe habet in Codice: *Quis multus*, vociſque *ſonus*, *vel greſſus* euntis. | |
| | *In Cod.* |
| Teſtimonium Iohannis de Chriſto. | Intendit de Iohanne B. cum dixit Ecce Agnus Dei. |
| Chriſtus baptizatur a Iohanne &c. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.1. *merſare ſalubri.* | merſere *ſalubri.* |
| Multos baptizatos cum Chriſto. | *In Codice nullus titulus.* |
| Vox de caelo audita eſt, Hic eſt &c. | *In Cod.* De voce Patris ad Filium. |
| Omnia rident, adveniente Domino. | *In Cod. nullus titulus.* |
| Verſ.6. *cadant, unum pro munere.* | cadent *unum pro* nomine. |

Verſus duo anecdoti poſt verſ. 7. tit: *Omnia rident, adveniente Domino.*

Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aras
Cuncti obteſtamur, veniamque rogamus ab ipſo.

Sequuntur variantes lectiones.

| | |
|---|---|
| Tentatur Chriſtus: *hic titulus in Edito ponitur poſt verba:* omnia valles; *ſed male.* | *In Codice poſt verba:* memorabile nomen, *ponitur hic titulus:* de tentatione diaboli in deſerto. |

Verſ.6.

| | |
|---|---|
| Verſ.6. *ferox, dictuque potentem.* | *ferox*, dominumque *potentem.* |
| 7. *faucius, ac ſerpens.* | *faucius* at *ſerpens.* |
| 9. *qui noſtra ad limina.* | quid *noſtra ad limina.* |
| Chriſtus diabolum alloquitur. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.4. *nec dubites, nam.* | *nec* dubita, *nam.* |
| 7. *corpore terrae?* | *corpore* terram? |
| Diabolus fugit, audito Chriſto &c. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.3. *ſe condidit umbris.* | *ſe* immiſcuit *umbris.* |
| Dominum elegiſſe Diſcipulos &c. | *In Cod.* De electione Diſcipulorum, & concurſu multorum ad Ieſum. |
| Verſ.1. *Interea magnas volitans it fama.* | *Interea volitans* fit maxima *fama.* |
| 3. *velit pelago deducere.* | *velit* pelagi divertere. |

Poſt verſum 5., nempe poſt verba *ſtipantque frequentes*, ſequuntur in Codice ſeptem verſus, qui deſunt in Edito. En illos:

Verſus ſeptem anecdoti poſt verſ.5. tit: *Dominum elegiſſe Diſcipulos &c.*

Conveniunt, vitamque volunt pro laude paciſci,
Poſtquam altos ventum in montes, aeterna poteſtas
Iure dabat, legeſque viris, operumque labores
Edocet, humanis quae ſit fiducia rebus:
Admonet inmiſcens cari praecepta parentis;
Spemque dedit dubiae menti, curaſque reſolvit,

Conſpi-

Conſpicit ecce alios, dextra, laevaque frequentes.

Sequuntur variantes lectiones.

| | |
|---|---|
| Verſ. 7. *Exſtantem ſuſcipit.* | *exſtantem* conſpicit. |

Poſt verſum 9. nullus in Edito titulus; ſed in Codice hic legitur: *De ſermone Domini in monte.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 21. *Inferniſque ciet.* | Inferinſque *ciet.* |
| 22. *Supplicia expendunt.* | *Supplicia* expediunt. |
| 25. *omnem Cocyto.* | *omnem* Cocytì. |
| verſ. ult. *Semper, & obſcena.* | *Semper, & obducta.* |

| | *In Cod.* |
|---|---|
| Praecipitur, ne colantur Idola. | De eo, quod Dominus prohibuit ſacrificium animalium, quae res fidem iniecit. |
| Verſ. 3. *robore natas.* | *robore* nota. |
| 4. *mortalive manu effigies, nec templa deorum.* | mortalique *manu* efficies, *nec templa* tueri. |
| 5. *Audire, & repetens.* | Audite, *& repetens.* |
| verſ. penult. *irrevocabile tempus.* | inreparabile *tempus.* |

| | *In Codice nullus titulus.* |
|---|---|
| De Iudicio venturo. | |
| Verſ. 4. *excidium, vaſta.* | *excidium*, & *vaſta.* |
| 5. *pariter rutilo miſcerier igni.* | *pariter* venturo inmiſcier *igni.* |

| | *In Cod.* |
|---|---|
| Quid ſibi faciendum foret &c. | De adoleſcente divite, qui dixit ſe omnia mandata legis ſervaſſe. |
| Verſ. 1. *Haec ſuper adventu cum.. dictu horrenda moveret.* | Hoc *ſuper adventu cum* dira *horrenda* moveret. |
| 3. *Studiis florens.* | ſtudii *florens.* |
| 4. *quinque greges.* | quique *greges.* |
| 7. *ore effatus.* | *ore* affatus. |
| 9. *confugio, & ſupplex.* | *confugio ſupplex.* |
| 11. *Eripe me his invicte.* | *eripe me his* inimice. |
| 12. *ſuperare labores?* | *ſuperare* dolores? |

Reſpon-

| | |
|---|---|
| Reſpondit ei Dominus. | *In Codice poſt v.* 1., *id eſt poſt verba* reddidit heros, *hic titulus ponitur*: De reſponſo Domini, & receſſu iuvenis, quia Dominus ſuaſit contemptum opum. |
| Verſ. 4. *tua ſi mihi.* | *ſua* ſit *mihi.* |
| 8. *ſi iungi hoſpitio.* | *ſi iungi* officio. |
| verſ. ult. *gemens, ſeſeque oculis.* | *gemens*, ſeque ex *oculis.* |

Poſt verba *avertit*, *& aufert*, ſequitur in Cod. titulus: *De tempeſtate orta in mari diſcipulis piſcantibus*, qui in Edito habetur inferius.

| | |
|---|---|
| Verſ. 3. *funda latum tranſverberat.* | latum funda *tranſverberat.* |
| 8. *& fluctus ad ſidera.* | fluctuſque *ad ſidera.* |

Sequitur in Cod. titulus alter: *De adventu Dei ad diſcipulos*, qui in Edito inſcribitur: *Chriſtum ambulaſſe ſuper aquas*, quique in Edito pariter inferius occurrit.

| | |
|---|---|
| Verſ. 3. *& pelago decurrit.* | in *pelago decurrit.* |
| 4. *praecunte carina.* | pereunte *carina.* |
| 6. *ſocii, & magno clamore.* | *ſocii magno clamore.* |
| 8. *Hic vero horrendum, ac viſu mirabile fortes.* | Id *vero horrendum*, & *viſu mirabile* fertur. |
| 11. *nec dum fluctus latera ardua tingit.* | *nec dum* fluctu *latera ardua* traxit. |
| 13. *Ecce gubernaculo.* | Ipſe *gubernando.* |
| 14. *Intremuit malus.* | *Intremuit* malis. |
| 13. *puppique Deus conſedit in alta.* | *puppique* Pater conſcendit *in alta.* |
| verſ. ult. *laeti notae advertuntur arenae.* | *laeti* nautae *advertuntur arenae.* |

| | *In Cod.* |
|---|---|
| Chriſtus inſedit aſello. | De eo, quod pueri obviaverunt Domino ſedenti ſuper aſinum. |
| Verſ. 1. *coſtis agitatus.* | *coſtis* agitator. |
| 2. *effulgens, tum plurima.* | *effulgens*, cui *plurima.* |
| 3. *atque viri, pueri.* | *atque viri*, & *pueri.* |

Poſt verſum 4., ſeu poſt verba: *contingere gaudent*, hic ſequitur titulus in Codice: *De ejectione vendentium, & ementium a Templo.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 5. *Iamque propinquabat portis.* | *Iamque* propinquabant *portis.* |
| 6. *Antiqua ex cedro centum.* | Antiquae cedri *centum.* |

Chri-

| | |
|---|---|
| Chriſtum ementes &c. | *In Codice nullus hic titulus.* |

Poſt verſum 7., ſeu poſt verba, *inſania mutat*, ſequitur in Codice hic verſus: *Hae nobis propriae ſedes, hic tempore certo, Perpetuis ſoliti &c.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 10. *obſtupuere animis.* | *obſtupuere* animi. |
| | *In Cod.* |
| Diſcipuli periclitantur in mari. | De Coena Domini, & diſtributione Corporis, & Sanguinis Chriſti. |
| *In Edito ſequuntur tituli, quos in Codice antepoſitos ſupra monuimus, nempe* De tempeſtate &c., & De adventu Dei &c. | *In Codice ſequuntur verſus, qui in Edito inſcribuntur:* De Coena Domini. |
| Docet Sacramentum. | *Codex nullum hic habet titulum.* |
| | *In Cod.* |
| Praedicit ab uno ſe traditum iri. | De eo, quod Dominus ſuam praedixit paſſionem, & inde proditionem; *qui tamen titulus in Codice eſt poſt verba:* talia fatur. |
| Apoſtolos fugiſſe. | De principibus Sacerdotum, qui convenerunt, ut Ieſum caperent. |

Poſt verba: *cura quietem*, ſequitur in Codice articulus, qui incipit: *Oceanum interea*, qui in Editione inſcribitur: *Sacerdotes cum populo &c.* Cetera occurrent inferius.

| | |
|---|---|
| Verſ. 3. *& patribus, ferturque.* | *patribus*, ſeritque. (*forte* ſerpitque). |

*Poſt verſum 7. ſequitur in Edito hic titulus:*

| | |
|---|---|
| Chriſtus hora ſexta &c. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ. 2. *Tunc ſubito nunc acciri omnes, populuſque.* | Cum *ſubito* accerſiri *omnes*, populoſque. |
| 4. *ipſe ferat, praedamque tuentes.* | *ipſe ferat*, praeclara tuentis. |
| 5. *miſtus dolor, &.* | mixtuſque *dolor*. |
| 6. *hominum, certant illudere.* | *hominum*, certavitque *illudere*. |

poſt

Poſt verſum 6., nempe poſt verba *illudere capto*, ſequitur in Codice hic titulus: *De eo, quod Chriſtus ligatur, & crucifigitur.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 10. *deciſis undique ramis.* | decuſſis *undique ramis.* |
| 11. *ligant ingentibus illum.* | *ligant* inſignibus *illum.* |

Poſt verſum 14., ſeu poſt verba *auſoque poſiti*, ſequitur in Codice hic titulus: *Verba Chriſti ad tortores.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 15. *impavidus, quo vincula.* | *impavidus*, quae *vincula.* |
| 16. *Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?* | *Tanta ne vos* omnes *tenuit fiducia noſtri?* |

*In Cod.*

| | |
|---|---|
| Fit terraemotus, & Sol obſcuratur. | De terraemotu, & eclipſi, & aliis, quae evenerunt, Domino crucifixo. |

| | |
|---|---|
| Chriſtum deſcendiſſe ad inferos. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ. 1. *Extemplo comites erebi.* | *Extemplo* commotae *erebi.* |
| 6. *Sol quoque & exoriens.* | *Sol* etiam *exoriens.* |

Poſt verſ. 7., ideſt poſt verba: *ferrugine tinxit*, in Codice ſequitur hic titulus: *De fuga diſcipulorum.* Et ſequitur articulus incipiens: *Diffugiunt comites*, qui in Editione exſtat ſuperius pagina 168. col. 1.

| | |
|---|---|
| Verſ. 3. *haerent infixi pectore vultus.* | horrent infixo *pectore vultus.* |

*In Cod.*

| | |
|---|---|
| Conqueſtio Petri ad condiſcipulos. | De clamore Domini, eo expirante. |
| Verſ. 3. *ubi ponere ſedem?* | *ubi ponere ſedes?* |

| | |
|---|---|
| Chriſtum tertia die reſurrexiſſe. | De reſurrectione Domini. |
| Verſ. 1. *Hoſque inter motus.* | Hos *inter motus.* |
| 5. *Corpus ubi exanimum.* | *Corpus ubi* exanime. |
| v. penult. *concuſſa eſt pondere tellus.* | *concuſſa eſt* robore *tellus.* |
| verſ. ult. *Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.* | *Horror ubique* animi *ſimul ipſa ſilentia* terret. |

| | |
|---|---|
| Foribus clauſis apparuiſſe &c. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ. 1. *Ecce autem primi volucrum.* | Et matutini *volucrum.* |

Poſt verſum 3. ſequitur in Codice hic titulus: *De eo, quod Ieſus intravit ianuis clauſis.*

| | |
|---|---|
| Verſ. 4. *ille gerens foribus ſeſe ingerit arctis.* | ipſe *gerens foribus ſeſe* intulit atris. |
| 8. *pietas, & vivida virtus.* | *pietas*, atque invida *virtus.* |

In-

| | |
|---|---|
| Inſtruit Apoſtolos. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.8. *Mittite, iam voſmet.* | *Mittite*, huc *voſmet.* |
| Chriſtum Apoſtolis pacem reliquiſſe. | *In Codice nullus titulus.* |
| Verſ.2. *Pacem optate manu.* | *Pacem* orate *manu.* |
| 3. *Magnanimi, pacis ſolum inviolabile.* | *Magnanimi*, paciſque olim *inviolabile.* |
| Poſt verſum tertium ſequitur in Codice hic titulus: *De oſtenſione vulnerum Chriſti, & gaudio Diſcipulorum.* | |
| 5. *populataque pectora ferro.* | *populataque* tempora *ferro.* |
| De Aſcenſione Chriſti. | De die Aſcenſionis. |
| Verſ.1. *exactis ſpirantes dimovet auras.* | *exactis* fato ventura reſident. |
| 2. *caeloque invectus aperto.* | *caeloque* inventus *aperto.* |
| 4. *Inſert ſe ſeptus nebula mirabile.* | In primoque refert *ſeptus mirabile.* |
| 5. *Aſt illum ſolio ſtellantis gloria caeli.* | Atque *illum ſolio ſtellantis* regia *caeli.* |
| 6. *aeternumque tenet per.* | *aeternumque* capit *per.* |
| Poſt verſum octavum, ideſt poſt verba *labentibus annis*, ſequitur hic titulus in Codice: *Finita narratione, auctoris deprecatio, & admonitio.* | |
| Verſ.9. *I decus, i noſtrum.* | *I decus*, & *noſtrum.* |
| 11. *Et nos, & ſua.* | *Et* vos, *&* tua. |
| v. penult. *coniux, & ſi pietate moventur.* | coniunx, *&* ſi *pietate* fatemur. |

# APPENDICULA.

*Exſtabant apud nos humanitate, & munere Cl. Mingarellii pauculae aliquot Variantes Lectiones ſpectantes ad Praefationem Claudiani, quae praecedit Panegyrim* de ſexto Conſulatu Honorii Aug., *quas ipſe exceperat ex Cod. Ms. membranaceo ſaec. XV. Bibliothecae Card. Dominici Paſſioneii, nunc Angelicae Auguſtinenſium, qui continet Claudiani Opera omnia. Quandoquidem pagina* ἀνέγγραφος *heic occurrebat, ne ipſa otiaretur, & ut impreſſionis concinnitati, & Lectorum bono proſpiceretur, viſum eſt heic ipſas apponere.*

| Editio Piſaurenſis anni 1766. | Cod. Paſſion. Angelic. |
|---|---|
| Verſ. 2. *Tempore ſopito.* | *Tempore* nocturno. |
| 3. *Venator defeſſa toro cum membra reponit.* | *Venator* cum feſſa toro ſua membra reponit. |
| 7. *Furto gaudet amans.* | Gaudet amans furto. |
| 12. *Artibus aſſuetis.* | *Artibus* aſſiduis. |
| 18. *Hic ſubit Inarimen, hunc gravis Aetna domat.* | Hunc premit Inarimes, *hunc* premit *Aetna* gravis. |
| 19. *Quam laetum &c.* | *Quam* laetus *&c.* |
| 23. *Aequatus Olympo.* | Aequatur *Olympo*, |
| 25. *Altaque Vati.* | *Altaque* menti. |

BASI-

# BASINII PARMENSIS
## *EPISTOLA*
### VERSIBUS EXARATA
### AD SIGISMUNDUM PANDULPHUM MALATESTAM
### ARIMINI DOMINUM
DE LINGUAE GRAECAE LAUDIBUS ET NECESSITATE

*Quam nunc primum ex ſuo Ms. Cod. ſaec. XVI in lucem edit*

HIERONYMUS FERRIUS LONGIANENSIS
IN PONTIFICIA FERRARIENSI ACADEMIA
Eloquentiae, & Romanarum, Graecarumque Antiquitatum Profeſſor.

# IOHANNI CHRISTOPHORO AMADUTIO

## *VIRO CLARISSIMO*

## In Athenaeo Romano Graecarum Litterarum Professori

## HIERONYMUS FERRIUS

### MEMOR ET GRATUS.

*UBI primum περὶ ἀνεκδότων consilium a te coeptum significasti, mecum ipse statui Epistolas Basinianas binas* (a) *e Codice nostro exscribere, illudque simul rogare, ut tuo in nomine emitti sineres. Cui enim donarem potius, quam* AMADUTIO, *qui Latinas, Graecasque litteras in primis doctus, hasce alteras* CLEMENTIS XIV. *Pontificis de Provincialibus suis optime meriti beneficio in ista Sapientiae luce profiteatur? Et Scriptoris auctoritas, & res ipsa monebat, quae de linguae Graecae praestantia, immo vero necessitate ageret, quam frustra improbuli vellicant nonnulli aetate, qua vivimus, rerum omnium optimarum studiosissima. Nihil enim in praesentia dicam de benevolentia in me tua, non otiosa illa quidem, & inerti, sed fructuosa admodum, & frugi-*

 *fera;*

(a) *Harum altera, quae prosa oratione exarata est, locum habuit, ut praestabilitus ordo horum Opusculorum constaret, in Sylloge Epistolarum Latinarum num.* III. *pag.* 300.

*gifera; quae nullo non tempore praeſto ſit, iiſque multis iuvet, quibus Vrbs beata abundet, noſtrae egeant, quam quae maxime. Teſtis Hadriani vita, in quam operam tantam contuliſti, quantam monumenta per te erutа, & communicata teſtantur; quod ego numquam ſatis praedicavero: praedicavero autem, dum vixero. Vale; &* de Aſtronomicis *ne deſpera. Ad ceteras enim cauſſas acceſſit Ferrarienſis conditionis neceſſitudo, qua in Civitate Baſinius Leonelli liberalitate invitatus publice docuit.*

*Dabam XII. Kalen. Maias* CIↃIↃCCLXXIII.

BASI-

# BASINII EPISTOLA

## *AD MAGNANIMUM INVICTUMQUE REGEM* SIGISMUNDUM PANDULPHUM MALATESTAM

*In qua oſtendit Poetas Latinos ſine Litteris Graecis nihil omnino poſſe.*

QUis ferat indocti temeraria iurgia vulgi,
Dum putat Auſonios Graecis ſine poſſe Poetas
Artibus e medio deducere vertice Muſas
Parnaſſi? Quorum princeps Porcellius(a) omni



(a) *Porcellius, ſive Porcelius, Neapoli natus, parente, qui, ut ſcribit Iovius* De vita Magni Sforziae cap. LXXXI., ob translatos Caeſarem, & Salluſtium honeſta domo cum hortis donatus eſt, *Poeta laureatus, & Hiſtoricus carminis condendi facilitate commendatur a Ludovico Foſcarinio, quo uſus eſt familiariter: neque Philelphi teſtimonio caruit, dum benevolum habuit, & amicum. Ubi enim hominis in ſuſpicionem venit, more ſuo, litteris ad Antiquarium datis, proſcidit, & diſcerpſit. Corteſius in Dialogo de Hominibus doctis nec politos, nec feſtivos Porcellii hexametros dixit verſus, cui aſſenſus eſt Gyraldus. Iudices aequiores, & probabiliores nactus eſt Muratorium, & Quirinium: quorum alter in Hiſtoria contexenda elegantiam, ſermonis facilitatem, atque facundiam tribuit. Videatur Praefatio Tom. XX. rerum Ital. Scri-*

In populo haec iactat, Graiae quin vocis egenum

Id

*Scripsor. pag.* 63. *ad Commentaria Comitis Iacobi Piccinini. Alter ſuffragator acceſſit in Diatriba, quae Epiſtolas Franciſci Barbari praecedit pag.* LXXXVIII. *Malateſtio in primis carus; cuius res geſtas domi, foriſque Epiſtolis praeſertim* XII., *quas praeclaras vocat Iacobus Philippus Bergomas, ad caelum tollit:*

Quidquid ab undecimo numeris depinximus anno,
In decus, & laudes iuſſimus ire tuas.

*Ipſe cecinit in libro de Amore Iovis in Iſottam pag.*35. b. *Hunc excipiunt libri quatuor, qui Iſottaei inſcribuntur: quos, ſi naevos aliquot excipias, non dubitaverim & latine, ut ea ferebant tempora, & poetice ſcriptos dicere, digno ſque propterea, qui in numiſmate Sigiſmundi iuſſu fuſo ELEGIAE nomine exhiberentur, cum D. Iſottae capite. Edidit Simon Colinaeus Pariſiis an.*1539. *primum* diligentia eruditiſſimi viri Chriſtophori Preudhomone Barroducani. *Ita enim praedicatur; ſed non eum facile dixerint, qui in dedicatione legerint, Porcellium, Baſinium, Trebannium* homines Florentinos, *& Sigiſmundum Malateſtam* Ducem Florentinum totam Etruriam, quae Thuſcia dicitur, optimam, & florentiſſimam Italiae partem ſumma virtute, & prudentia moderantem, *Iſottam vero* Principis Ariminenſis filiam. *Ea ſunt peccata in hiſtoria non minora, quam quae peccaverat Voſſius, & Baillettius, qui Porcellium Petrarchae aequalem fecerant. Carminum inſcriptiones ipſae ſcitantis Scriptoris negligentiam evincunt; qui ne verbum quidem addidit de Thaddaeo Bononienſi, de Roberto Flaminio, de Guarino Veronenſi, qui & ipſi verſus habent ad calcem. Secundum Sigiſmundum, Alphonſum Aragonium, & Fedricum*

Fel-

Id (a) Senecam ſtulto cogit ſermone fateri.
O ſi Democritus noſtrum remearet ad orbem,
Ederet hic riſus quales? o gaudia corda
Quae quaterent? certe inſanos nunc eſſe Poetas
Audiret, quamvis ſtrepitus horreret & urbis.
Quos fletus alter, lacrimas quas ille cieret,
Aſpiceret mancam cum ſic ſe efferre poeſim?
Haec ratio vulgi, vatumque haec verba novorum.



*Feltrium colvit Porcellius, cuius vitam verſibus exaravit, ediditque Muratorius. Haec, ceteraque alia ad vitam, & ſcripta pertinentia videre licet apud Apoſtolum Zenium, Hiſtoriae Litterariae parentem optimum, ad Voſſianas Diſſertationes To.I. pag.15., & ſeq. Non eſt praetereundum, quod Muratorius Praefationis ſub finem monuit loco citato*, Porcellii poetae cultiſſimi opera quatuor Voluminibus *comprehenſa in Bibliotheca exſtitiſſe Urbinate, quae in Vaticanam commigravit.*

(a) *Thomas Seneca Cameris, quem* inſignem Magiſtrum *vocat Blondus in Italia illuſtrata, Aeſii, Arimini, Bononiae, & Florentiae docuit; non Latinis modo, ſed Etruſcis litteris commendatus. Imitatorem idoneum Petrarchae vocat Creſcimbenius in Hiſt. Ital. Poeſis lib.3. p.214. Quadrius meminit Vol. II. pag.195. Latina habentur inter carmina illuſtrium Poet. Ital. Floren. 1721. Tom. IX. pag.39. Quemadmodum notavit diligentiſſimus Lancilottius noſter ad Ludovici Lazarelli verſus pag. 95., & ſeq. in Specimine Poetarum Aeſii edito an. 1766.*

Ante quidem ad ſummum venit quam Lingua Latina,
Tunc opus auxilio noſtris maioribus illo,
Utile tum fuerat ſacrum vidiſſe Platonem,
Maeoniumque ſenem. Sed poſtquam Roma ſupremo
Eſt elata gradu ad ſuperos, caelumque petivit
Vertice turrigero, vicit Romanus, & artes
Abſtulit egregias mediis bellator Athenis.
Dic mihi Siſyphium lapidem qui vertice geſtas
Tempore, quo tenuit faſtigia ſumma Latina
Lingua, quis illorum praeſtantior? inclitus, inquis,
Arpinas. Vatum quis praeſtantiſſimus alter?
Virgilius. Bene habet. Quo fonte bibiſſe feruntur
Tullius, atque Maro? patrione, an fonte Pelaſgo?
A tribus Iſocratis, Demoſthenis, atque Platonis
Fluminibus ne ſitim ſedavit Tullius, inquis?
Ille Syracuſii, nec non aſcraea ſecutus

Rura

Rura beata ſenis Smyrnaei, & carmen Homeri.
Argumenta, locos, verſus, totumque poema
Virgilius rapuit (a), Graio Romanus Homero;
Aeneaſque locum magni ſibi ſumpſit Ulyſſis,
Carthagoque fuit captis Phaeacia terris,
Alcinous Dido, Scylla eſt eadem, atque Charybdis,
Idem etiam Polyphemus. At hoc mutavit, ut eſſent
Harpyiae nitidi pecoris cuſtodia patris
Lampetiae, atque ſoror Phaetuſa. Quid Ilias ipſa eſt?
Qua variis volitans agitur victoria pennis?
Pandarus Atridae violato foedere divum
Tela manu mittit: quae tela Tolonius augur
Reiicit in Teucros: legatos ipſe repulſos
A Diomede canit; quos ante remiſit Achilles.
Barbarus interimit Pallanta hic Turnus, at illic
Dat letho inſignem Patroclum maximus Hector.

Iur-

(a) *Apage cum verbo iſto quid erit imitari? Rectius rapuit. Si hoc enim rapere, ſub finem dixerit* iuvare.

Iurgia Drancis enim, & Turni lis illa moleſta eſt
Pelidae magni, & late regnantis Atridae.
At Turnum Aeneas ſtygias dedit ire ſub umbras;
Hectora magnanimum letho dat magnus Achilles.
Singula ludorum poſuit certamina uterque:
Nec mutavit enim quicquam, niſi forte, quod alter
Quatuor in currus pandas dedit ire carinas.
Res geſtae regumque, ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.
Inde monet Flaccus: „vos exemplaria Graeca
„ Nocturna verſate manu, verſate diurna.„
Quod ſi forte viris imitari talia ſummis
Eſt viſum, cur non ſit fas & talia nobis
Tentare? atque trabes ſilva vectare pelaſga,
Unde ferunt veteres magnas fabricaſſe carinas?
Virgilium ante ipſum Graios pater Ennius omnes

Vide-

Viderat ; at poſt hunc quicumque fuere Poetae ,
Statius, & duro Lucanus, & Annaeus (a) ore.
Cur licuit noſtro Iuvenali cernere Graeca
Grammata ? cur pueros a Graio exordia iuſſit
Quintilianus enim ſermone aſſumere rhetor
Maximus ? aut quare tantis Hieronymus auſis
Inſeruit ſeſe : quidnam Lactantius ? aut quid
Auguſtinus adit Graium tot ſcripta virorum ?
Denique poſt Gothos , & tempora perdita luxu ,
Amiſſas & opes Graiorum Lingua Latina
Quo fuit in precio ? niſi nunc ? quando optimus ille
Victorinus (b) opes gremio defudit aperto ,
Guari-

(a) *Legendum omnino* aeneus , *praeterquamquod* Annaeus , *gentis nomen . carminis legibus repugnat , particula* & *redundaret .*

(b) *Victorinus Feltrenſis* per annos tres , *inquit Corteſius pag.*26. , toti Galliae Tranſpadanae tradidit praecepta dicendi . *Theodorum Gazam inter alios auditorem habuit , & ( quod notavit Mannius ad Carteſium ) ita morum integritate excelluit , ut D.Antonino Florentino Archiepiſcopo par virtute , ac pietate haberetur . Iure igitur* optimus *dictus a Baſinio .*

Guarinuſque (a) pater, nec non Leonardus (b), & omnis
Ante alios melior Theodorus (c), & ipſe (d) Philelphus,
Atque alii ſurgunt noſtro qui tempore vates.
Perottus (e), noſtrique decus Laurentius (f) aevi
Orator, noſtraeque ſimul facundia linguae

Pog-

(a) *Guarinus, ſive Varinus Veronenſis*, Magiſter fere omnium, qui noſtra aetate in Humanitatis ſtudio floruerunt, *vere ſcripſit Pius II. Comment. lib.* XI. *Praeclara de eo multa Corteſius ad pag.* 13., *& ſeqq. Videantur Iovius in Elogiis, Zenius ad Voſſium.*

(b) *Tres Leonardos habemus eadem fere aetate litteris claros. Datum, Iuſtinianum, Arretinum: de quo poſtremo loqui Baſinium nemo dubitaverit.*

(c) *De Theodoro Gaza praeter alios magnifice Pierius Valerianus*: Tantae eruditionis vir, quantae multis abhinc annis nemo Graecorum, dicere auſim, etiam & Latinorum, fuit.

(d) *Illuſtrius Philelphi nomen, quam quod per nos ornari poſtulet.*

(e) *Idem dicito de Nicolao Perottio, luculento ad Martialis Librum primum Commentario praeter alia de omni Litteraturae genere optime merito.*

(f) *Vallam hic deſignari puto: De quo recte indicarunt a Corteſio pag.* 27., *& a Zenio ad Voſſium.*

Poggius (a), & qui ſunt ſub te, Siſmunde (b), Poetae,
Dulce decus noſtrum, Martis certiſſima proles,
Magne virum victor, patriae ſervator (c) avitae,
Cuius & auſpiciis & Graeca, & Lingua Latina
Floret Ariminea (d) magnis cum laudibus urbe.

Sci-

(a) *Poggii vitam edidit Iohannes Baptiſta Recanatius Patricius Venetus, & Mehus Florentinus, quos conſulat, qui de ingenioſa hominis in dicendo facultate pronunciare velit.*

(b) *Sigiſmundus Pandulfi F. & litteris delectatus, & litteratis hominibus; quorum alios apud ſe habuit, alios beneficiis auxit.*

(c) *Sive Malateſtios Veruculo Ariminenſis Dioeceſis oppido oriundos dicamus, ſive Germaniae ab oris profectos, ſive alibunde, Ariminenſes recte appellaveris, qui cum imperio, & poteſtate tot annos multas & Piceni, & Galliae Togatae, & Inſubriae, & Cenomanum urbes tenuerint, ſemperque Arimini gens armis, opibus, gratia florentiſſima conſederit.*

(d) *Quo in honore fuerint litterae, Sigiſmundo duce, ac auſpice, Arimini paſſim teſtantur Hiſtorici. Iuvat verſus nonnullos afferre Porcellii in Epiſtola* Inclito Militum Imperatori, ac Poetarum Deo SigiſmundoPandulfoMal. *quae legitur ad pag.* 34. b:

Hic Cicero, hic Criſpus, hic ſancti Muſa Maronis,
Hic & virtutum praemia, & altus honos.

Arma

Scire velim, an fuerit quiſquam, quicumque fuere
Scriptorum, qui non Graiae commercia Linguae
Noverit. Ipſe putas, quod tu, Polypheme, cavendum.
Quod ſi ſegnis, iners, & plumbeus ipſe fuiſti,
O uno (a) Polypheme oculo contente, quid audes
Deterrere alios? ne diſcant cognita priſcis
Vatibus. Ite alacres, Senecae ne credite: Graecas
Diſcite litterulas: quod ſi Porcelius obſtat;
Obturate aures conſtanti pectore, & ipſum Maeo-

Arma canit Vates Baſinius aere canoro;
Et tua Smyrnaeo carmine facta canit.
Valturius miris defunctus laudibus illic
Deſcribit leges, iuraque militiae.
Parleo quin etiam Graeco, & ſermone Latino
Eniter, orator clarus, & hiſtoricus.

*Praeterea Iuſtus Comitius, Robertus Urſius, Poetae, & Iuriſconſulti celeberrimi.*

(a) *Poliphemum vocat Porcellium. quod una ne lingua contentus, tamquam uno oculo, an quod revera oculo uno caruerit?*

Maeonium, atque alios Graium perarate Poetas.
Illic invenies ſcribi quo more decebit
Nomina, & heroum genus immortale, virumque,
Quod ſine Graecorum auxilio neſcire neceſſe eſt.
Haud equidem invideo noſtrae pulcherrima Linguae
Verba, ſonoſque graves, numerumque, aut terſa Latinus
Nomina, nec Graecam cupio praeponere noſtrae:
Sed ſine Graecorum auxilio Romana valere
Non multum ſemper docui, ſemperque docebo.
Nec laudamus equum, pluſquam calcaribus illum
Qui ferit; aſt equitem ſine equo nil poſſe putamus.
Ipſe ego Maeonii Vatis, qui carmina nuper
Inſpexi, atque libens, iterumque, iterumque relegi,

Inve-

Invenio noſtrum quantum iuvat ille Maronem.
Quod ſi laudis habent aliquid mea carmina, ab illo
Fonte mihi, & fluviis magni defluxit Homeri.



LA

# LA DIFESA DELLE DONNE
## CONTRO IL DIVIETO DEGLI ORNATI
## *CAPITOLO*

DEL SENATORE

FRANCESCO BOLOGNETTI

AL CONTE

NICCOLO' LODOVISI

*CAVATO DAL SUO ORIGINALE.*

ALLA NOBILISSIMA ED ORNATISSIMA DAMA

# LA SIGNORA ANNA SERNINI

## NATA CONTESSA TOMMASI

## CORTONESE

GIOVANNI CRISTOFANO AMADUZZI.

*VOI, Ornatiſſima Dama, che così volentieri andate paſcendo il coltiſſimo voſtro ſpirito colla lettura di buoni Libri, Voi, che così gentilmente vi compiacete gradire la frequenza delle mie lettere, non avrete ora a noia, che io vi comparisca d' avanti e con queſto mio ſcritto, e con un' altro Poetico ben degno della voſtra attenzione. Sarà queſto un Capitolo, che fa la difeſa del voſtro bel ſeſſo adontato per una legge prammatica ſpettante ai ſuoi ornamenti. Io ne dichiaro francamente Autore il Senatore Franceſco Bolognetti, perchè una lettera di Matteo Bruno Giureconſulto Arimineſe al Bolognetti iſteſſo ci dà ſicuro argomento di ciò* (a), *e perchè il Ms., da cui ho tratto queſto Capitolo, fu da me veduto in queſta Caſa Bolognetti di Roma fra altri Mſs. del noſtro medeſimo Poeta. Anzi quattro altri Capitoli ſcritti di pugno dell' Autore, e da lui in più luoghi correc-*

 *ti,*

(a) *Anecdot. Litter. Vol.* II. *pag.* 370., *e ſegg.*

*ti, vi avrei voluto ora mandare, ma la loro lunghezza me l' ha vietato. Spero però, che in altra occaſione potranno eſſi pure vedere la luce del pubblico, e meritarſi l' onore di venire nelle mani voſtre. Sono queſti ſotto nome del* Bruſco Bidello, *che io credo ſicuramente un nome ſeudepigrafo, adottato dal Bolognetti iſteſſo, e coſa affatto diverſa da Giulio Bidelli di Siena, di cui voi favoriſte procurarmi alcune notizie; e ſono queſti inſieme ad altro Perſonaggio, cioè al Sig. Don Federico Gonzaga indirizzati. Voi non ignorate il famoſo Bando promulgato l' anno* 1451. *dal gran Card. Beſſarione allora Legato di Bologna, in cui fu proibito generalmente a tutti, e a tutte l' uſo delle veſti inteſſute d' oro, diſtinguendo poſcia ſei ordini di perſone infra i Cittadini, a ciaſcun de' quali fu aſſegnata una certa miſura, o limitazione nella foggia, e nella ricchezza del veſtito, e degli abbigliamenti, maſſimamente donneſchi. Era il primo ordine de' Militi, o Cavalieri; il ſecondo quello de' Dottori; il terzo de' ſemplici Nobili, co' quali i Notai, i Banchieri, ed i Mercatanti di ſeta, e di panni fini ſtavano del pari; il quarto era di ſei arti delle maggiori; il quinto dell' arti minori; ed il ſeſto de' Plebei, e de' Contadini. Figuratevi, ſe queſto Bando poſe di mal' umore ſpecialmente le belle Ninfe del Reno, che fiorivano a quella ſtagione. Segno di ciò m' è un Opuſcolo del celebre Matteo Boſſo Veroneſe Canonico Regolare, ſcritto al Greco Porporato, per tenerlo fermo nella preſa riſoluzione,*

*ne , e renderlo reſiſtente alle femminili querele , il quale io ho appunto veduto fra i Codici della Biblioteca Ottoboniana , ora Vaticana* (a) . *Queſto ſcritto avrà finito di ſconcertare il ſangue del bel ſeſſo di Felſina , la cui dolcezza tanto ci loda il noſtro Certaldenſe . Nel Tom. VIII. della* Miſcellanea di varie Operette , *ſtampata dal Lazzaroni in Venezia* (b) , *vi ſono alcuni Atti ſcelti delle coſe oprate dal Card. Beſſarione nella ſua Legazione di Bologna , e di Romagna , e ſono ivi regiſtrate anche queſte prammatiche providenze . Biſogna pertanto , che ne' tempi ſuſſeguenti , cioè circa l' anno 1559. ( che tal data porta la lettera dedicatoria del Bolognetti a Federico Gonzaga , precedente i quattro Capitoli di ſopra rammentati ) foſſe rinnovato , o confermato da altro Superiore quel Bando del ſecolo antecedente , onde s' impegnò il celebrato Autor della Coſtanziade con principi tutti oppoſti a quelli del Boſſo a facetamente ſoſtenere le parti delle ſue patrie Ninfe . Il titolo di Monſignore , che primieramente ſi aſſegna ad un tal Riformatore , ed il nome di Pietro , e di Donato , che dipoi in ſul principio ſteſſo del Capitolo ſe gli fa appartenere , ci fanno abbaſtanza inſtrutti per riconoſcere*



(a) Matthaei Veronenſis Can. Reg. ad B. Card. Tuſculanum , Bononiae Legatum , ne feminis Bononienſibus luxurioſa ornamenta veſtium reddantur Libellus . *Comincia* : Prudentiam , *pagg.* 99. *Cod. Ottobon. Vatic. num.* 1196.

(b) *Pag.* 148.

*rinovatore di tal divieto Monſig. Pietro Donato Ceſi, che fu prima Vice-Legato, e poſcia ancora Cardinal Legato di Bologna. Certamente il Bolognetti medeſimo fioriva a què tempi ſteſſi; perciocchè egli tuttora viveva nell' anno 1566., come dal Bumaldi (a) s' impara; e voi ben ſapete, ch' egli fu ancora Senatore Bologneſe, Gonfaloniere, e Poeta inſigne. Il Conte Mazzuchelli (b), il Quadrio (c), ed il Creſcimbeni (d) ne dicono queſto, ed il di più. Oltre il Poema Eroico del Coſtante, per cui fu poſto al pari col Triſſino, coll' Alamanni, e col Giraldi, e per cui meritò elogi più grandi ancora dal Cieco d' Adria (e), ed oltre le ſue Rime ſtampate in Bologna (f), è certo, che ſi dilettò ſcrivere in quel metro di Poesìa, che ſi dice* Capitolo, *come è il preſente, e gli altri quattro, di cui vi parlo. Due ne mentovano appunto gli Autori ſopra indicati, uno cioè diretto a Gio. Batiſta Giraldi, che è ſtampato (g), l' altro a Bernardo Taſſo, con cui accompagnò il proprio Poema del Piacere in tante ſtanze,*

(a) *Biblioteca Bologneſe cart.71.*

(b) *Scrittori d' Italia Vol.II. Part.III. pag.1483., e ſeg.*

(c) *Storia, e Ragione d' ogni Poesìa Vol.I. pag.56.*

(d) *Iſtoria della volgar Poesìa Vol.V. in cart.100.*

(e) *Lettere famigliari pag.85. a tergo.*

(f) *In Bologna 1566. in 4.*

(g) *Dopo l' Ercole del Giraldi a cart. 349. colla riſpoſta di queſto a cart.351. In Modena preſſo al Gadaldini 1557. in 4.*

ze, e di cui però vive ſolo la memoria nelle lettere dello Scrittor Bergamaſco (a). Sebbene voi, che ſuperiore ſiete all' altre Donne in tante doti, e nell' indifferenza ancora degli abbigliamenti, su' quali tanto contano le vanarelle fanteſche di Cupido, non foſte per far gran delitto nè al dotto Card. di Trabiſonda per il ſuo divieto, nè ad altri, che in appreſſo l' aveſſe confermato, tuttavolta non vi ſarà diſcaro leggere queſto ſcritto di difeſa per il ſeſſo voſtro, il quale ebbe ſempre grandi lodatori; benchè ſorto ſia alcuna volta ancora qualche malinconico, o mal contento a dirne in proſa, e in rima li biaſimi. Le coſe, che ci appartengono, anche in mezzo alla noſtra indifferenza, per qualche parte c' intereſſano, e niuno v' è così ſpogliato di umanità, che dell' umanità non ſenta in ſe ſteſſo veſtigio. L' eleganza del Componimento piacerà ſenza meno al voſtro buon guſto, ed alla voſtra rara coltura; ſiccome la brevità del medeſimo ſarà addattata alla circoſtanza voſtra preſente, giacchè ſempre e brevi diſcorſi, e poco cibo inſieme a' malati ſi convengono. I miei voti ad Igia per il voſtro riſtabilimento ſono inceſſanti, ſiccome è per eſſere immutabile, ed infinita la ſtima, che faccio, de' voſtri talenti, delle voſtre virtù, e degli altri meriti voſtri, che a tutti vi rendono cara, ed amabile. Non minore è la riconoſcenza, che vi ho per la benevolenza, ed



(a) *Lettere di Bernardo Taſſo Vol.II. pag.285.*

*amicizia, di cui m' onorate, ſiccome non minore è la corriſpondenza, che aver vi debbo in compenſo di tanta degnazione. Io temo, e riſpetto, Ornatiſſima Dama, per mio ſtabilito ſiſtema il voſtro ſeſſo, ma la voſtra ben nota ſavieZZa, ed il voſtro candore fanno sì, che lungi da ogni timore a voi mi doni, e a voi mi raccomandi.*

*Roma addì 26. Dicembre 1773.*

CAPI-

## CAPITOLO

### AL CONTE NICCOLO' LODOVISI.

L'Altro dì, Signor Conte, in Reggimento
Trattandoſi, che il luſſo ſi ſtringeſſe,
Io fei queſto parlar, nè me ne pento.
Lodai pria Monſignor, che al fin voleſſe
Provedere agli abuſi, ai gravi danni,
Alle gran ſpeſe, alle ruine eſpreſſe.
E diſſi, ch'appò noi di quì a mill'anni
Di Pietro, e di Donato il nome a volo
N'andrìa con chiari, ed onorati vanni.
Poi ch'avrà la Città tutta non ſolo
Di ſuperbi edificii, e vaghi adorna,
Paſcendo ognor di poveri un gran ſtuolo.
Ma tronche al troppo luſſo ancor le corna,
E racconcio il Torron sì ben, che a noi
In evidente beneficio torna.
Feci tre parti delle pompe poi,
Funeraria, Cibaria, e Veſtiaria,
Ch'ognuna ſerba i dependenti ſuoi.

E diſſi,

E diſſi, che alla pompa Funeraria
Eſſer non pur dovea tolta, e interdetta
Col foco l'acqua, ma la terra, e l'aria.
E come coſa iniqua, e maledetta
Con ogni legge, e con quel più rigore,
Ch' uſaſſe mai Repubblica riſtretta.
Eſpreſſi la cagion, perchè l'onore,
Che ſolo a Dio la Chieſa ha riſerbato,
Come del tutto origine, e fattore,
Far tutto il dì vedeaſi ad un privato,
Ma ſe pur foſſe un' uom, per avventura
Potrebbe eſſer permeſſo, e tollerato.
Per eſſer l'uom di Dio nobil fattura,
Che ſopra il Ciel con l'intelletto paſſa,
E tien del ſuo Fattor forma, e figura.
Ma queſt' onor far veggio ad una maſſa
Di carne, anzi di fetido terreno,
Priva d'ogni ragion, di ſpirto caſſa.
Della Cibaria poi diſſi non meno,
Che far doveaſi, e rigoroſamente
Tenere il luſſo in queſta parte a freno.
Allegai la ragion, perchè più gente
Riman da tanti, e vari cibi eſtinta,

Ch:

Che da coltelli, e ſpade, è più ſovente.
Diſſi, riſpetto a queſta, che la quinta
Parte dannoſa pur l'altra non era,
Ch' empia, e dannoſa in prima avea dipinta.
E così diſcorrendo in tal maniera,
La Veſtiaria in due volſi partire,
Che mal puoſſi acconciar reſtando intera.
L'una guarda degli uomini al veſtire,
E delle donne l'altra, e ſe allor bene
Fu notato da voi, Conte, il mio dire,
Diſſi, che ſi dovea con gravi pene
Agli uomini interdir ricami, e fregi,
Ch'ornarſi all'uom di fuor non ſi conviene.
Ma i noſtri veri onori, e i veri pregi
Dall' interna virtù naſcon, che puote
Sola farci tra gli altri al mondo egregi.
Quei, che tanti fior, fronde, e vaſi, e ruote
Portan sù i panni, ſon come dorate
Scatole per di fuori, e dentro vote.
O come certe palle in dono date
Speſſo ai fanciulli, ch' han ſol vento, o piuma

Den-

Dentro, e di ſeta, e d' or ſon fuori ornate.
Oltra, che il patrimonio ſi conſuma,
S' altera la natura, e Dio s' offende,
Nè giova il dirmi: queſto ſi coſtuma.
Ch' egli è un' abuſo, il qual tanto più prende
Forza, quanto più dura, onde s'abbaſſi,
Che troppo in alto omai l'abuſo aſcende.
Non vuò già, che cader l' uomo ſi laſſi
Dalla perſona i panni, o che vad' unto;
Tal, che la coſa in ſordidezza paſſi.
Ma parmi, che ſi ſtia nel mezzo appunto,
O verſo quello eſtremo più ſi pieghi,
Che da tal ſordidezza è più diſgiunto.
Ma, che la donna sì ſtretta ſi leghi
Non lodo, lodo ben, ſoggiunſi allora;
Che il troppo luſſo ancor' a lei ſi nieghi.
E confermo il mio detto adeſſo ancora,
Nè credo, che il giudizio mio ſia vano,
Nè credo uſcir del cammin dritto fora.
Io diſſi, che allargar ſi dee la mano
Alquanto più d' intorno a queſta parte,
Se non, che fora ogni noſtr' opra in vano.

Non

Non può gir la natura, e meno l'arte
Dall'uno, ſenza il mezzo, all'altro eſtremo;
E di ciò piene ſon tutte le carte.
Diſſi, ch' eſſer dovea gran parte ſcemo
Del femminile ornato, perchè in vero
Già mi par giunto al colmo più ſupremo.
Ma che a voler tutto levarlo intero,
Oltra, che mai durar non potria molto,
Sarìa troppo l' Editto aſpro, e ſevero.
Io diſſi in ſpecie, che dal collo tolto
Non le foſſe di perle un ſol monile,
Ma sì ben quel, ch' hanno alle trecce involto.
Se l' ornarſi non è coſa virile,
Quel però della donna è proprio dono,
Che la rende più vaga, e più gentile.
E in teſtimonio Dio chiamo, ch' io ſono
Fuor d' ogni paſſion, ma quel, che parmi
Oneſto, e giuſto, libero ragiono.
Ben nel giudizio mio poſſo ingannarmi,
Ma, che il cuor ſia diverſo alla favella,
Non è chi poſſa tal calunnia darmi.

Non

Non ho cugina, moglie, nè ſorella
Da portar perle, e quando ben l'aveſſi
Per gratificar mai queſta, nè quella
Non penſate, che in pubblico io diceſſi
Coſa, che nel profondo del mio petto
Per vera, e ragionevol non teneſſi.
Dunque di quel, ch'ho in tal materia detto,
S'altri il nomina ben chimera, o ſogno,
Perchè Dio sà da chi naſca il difetto,
Non me ne pento, e non me ne vergogno.

FRAGMEN-

# FRAGMENTUM PAPYRI

SAECULI V. VEL VI

*CONTINENS DONATIONEM*

S. RAVENNATI ECCLESIAE OBLATAM

QUOD

In Bibliotheca Gambalonga Civitatis Arimini adſervatum

*NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUR.*

## IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

*AD ERUDITISSIMUM VIRUM*

# ANDREAM IOHANNETTIUM

Abbatem Monachorum Camaldulenſium
S. Gregorii in Clivo Scauri

## PRAEFATIO.

*MONACHORUM ea fuit laus praecipua ſemper veteres Codices, Papyros, Chartas, ceteraque huiuſmodi monumenta non ſervare modo in Tabulariis, ac Bibliothecis, verum etiam obſervationibus naviter illuſtrata litterarum bono, & emolumento in eruditorum lucem emittere. Maiorum exempla non ita pridem ante nos ſectati ſtrenue ſunt Mabillonius, Montfauconius, Van Beſſelius, Martenius, Durandius, Pezius, Caietanius, Margarinius, Gattula, Bacchinius, Aſſaroſius omnes ex Benedictinorum Familia Sodales longe praeſtantiſſimi, eoſque dein per ſummam laudem imitati ſunt noſtra etiam aetate Touſlainius, Taſſinius, Gerbertius, Gallettius, atque ex tua praeſertim Congregatione Alumni longe Cl. Mittarellius, & Coſtadonius, ceterique, quorum nominibus nunc parco. Egregiis eorumdem veſtigiis tu quoque inſiſtens, IOHANNETTI eruditiſſime, Claſſenſis Monaſterii Ravennae Archivium tanta diligentia luſtraſti, eiuſque monumenta excuſſiſti, ut ampliſſimi Monaſterii iuribus tuendis nemo te aptior,*

*dum illic degeres, exſiſteret. Praetereo nunc Muſeum ipſum Claſſenſe a te Inſcriptionibus, Figulinis, Anaglyphis, ceteriſque huiuſmodi monumentis, tum & Numiſmatibus abunde ditatum, & concinne diſpoſitum. Taceo quinetiam* Vetera Monumenta ad Claſſem Ravennatem eruta (a), *& te curante praecipue edita, & collatis cum aliis Sociis tuis Mauro Fattorinio, & Ferdinando Mingarellio ſtudiis illuſtrata. Addam vero, te heic quoque iiſdem inſiſtere curis, atque eadem colere ſtudia, qui nimirum & veteribus monumentis comparandis aſſiduam operam naves, & Gregoriani huius Monaſterii, cui nunc praees, iura, & praerogativas, ex antiquiſſimo eiuſdem Chartulario, tanta Scriptorum commemoratione laudatiſſimo, excerptis praecipuis notionibus, proferre, quin & illuſtrare contendas. Cur non gratum ergo obveniat nunc tibi hoc Papyri Fragmentum, quod in lucem proditurum tibi, quem facio plurimi, & amo quammaxime, primum ſiſtere mihi viſum eſt? Papyros certe eſt, cur ames, in quibus Claſſenſes res etiam ſerventur, cum nimirum & donationis inſtrumentum anni* DXXII. (b), *& alterum venditionis in Agro Ariminenſi anni* DXCI. (c) actum in Claſſe Ravennate *deprehendatur. Verum ad noſtrum Papyri Fragmentum venire praeſtat. Exſtat hoc nunc in Bibliotheca Gambalonga Ariminenſium ex dono Cl., & eruditiſſimi Praeſulis Ioſephi Garampii Archiepiſcopi Berytenſis, & Nuncii Apoſto-*

(a) *Faventiae prid. Id. Novemb. 1756. excudebat Ioſephus Antonius Archius.*

(b) *Maffei Iſtoria Diplomat. num. IV. pag. 149.*

(c) *Ibid. num. X. pag. 165.*

*Apoſtolici deſignati ad Aulam Vindobonenſem, cuius in Patriam pietatem vel ex hoc uno quiſque intelligat. Eius apographum ad nos pervenit humanitate Epiphanii Brunellii Ariminenſis Eccleſiae Canonici, & eiuſdem Bibliothecae Praefecti. Spectat hoc quidem ad aliud* Fragmentum Chartulae donationis bonorum factae Eccleſiae Ravennati per honeſtum (*honorabilem*) Virum Bracurſum (*Acatium*), eiuſque coniugem Martinam, recognitae, & publicari iuſſae a Magiſtratu Civitatis Ravennae iuxta petitionem Defenſorum eiuſdem Eccleſiae Ravennatis, ſedente in ea Petro Archiepiſcopo; *quod* ex ſchedis ectypographis ex ipſo Autographo penes V. C. Ioh. Bapt. Donium *publici iuris fecit Antonius Franciſc. Gorius ad calcem veterum Inſcriptionum Donianarum* (a). *Cuilibet ſane & Donianum, & Ariminenſe Fragmentum conferenti id patebit; ſiquidem ſaepe in Doniano uſurpatur nomen Melminii, quod & in Ariminenſi occurrit. Ceterum vel corticis vitio, vel legentis imperitia factum eſt, ut donantis nomen apud Donium modo* Bracux, *modo* Bracurſa *audiret, cum Garampio harum ſcripturarum peritiſſimo* Acatius *ſe in Ariminenſi noſtro exhibuerit. Certe uxor eiuſdem in noſtro* lin.2., *prima ſyllaba tantum incolumi*, Mar.... *legitur, ut* Martinam *cum Donio ſalutare non pigeat. Donationis ratio in utroque etiam conſtat; ſic enim in Doniano* lin.4., & 5 : per quam ſe donaſſe profeſſi ſunt eidem



(a) *Iohan. Bapt. Donii Inſcriptiones antiquae. Florentiae* 1731. *Claſſ.*XIX. *num.*XIV. *pag.*502.

S. Eccleſiae Civitatis Rav. m. b. Petrus Archiep. praeeſſe videtur, id eſt ſex uncias totius ſubſtantiae ſuae excepto mancipiis, ſed & ſeptem ſemis uncias fundi 55., & quadrantes &c. *Praetereo cetera, quae facile quiſque deprehendat inter ſe mire convenientia. Mutuam vero utrumque Fragmentum ſibi fert opem, & coniurat amice; Donianum ſiquidem nobis Petrum Ravennae Archiepiſcopum exhibet, Ariminenſe vero Indictionem quintam praeſefert; ex quibus ſane exaratae Papyri tempus colligi poteſt. Saeculum v., & vi., quibus Papyrus convenire poteſt, quatuor Ravennae Praeſules Petri nomine tulerunt; quorum unus S. Urſo ſucceſſit anno Chriſti ccccxii., ut cenſet Cl. Bacchinius in Agnelli Pontificale, obiit dein prid. Kal. Auguſti ann. ccccxxv.; alter eſt S. Petrus Chryſologus, qui ab anno ccccxxxii. ad ccccxliix. Ravennatem Eccleſiam ſanctiſſime gubernavit; tertius eſt Petrus Iunior dictus, qui circa ann. ccccxcvi. ipſius Eccleſiae regimen obtinuit, ut fert laudati Bacchinii ſententia, obiit vero anno* DIII.; *quartus tandem eſt Petrus Senior appellatus, qui Agnello ipſo ſucceſſit ann.* DLXVIII., *deceſſit vero anno* DLXXV. *Quare cum Indictio quinta, ſingulorum procedente regimine contigerit, ſi primam heic uſurpatam velis, habebis annum ccccxxii., ſi alteram, habebis annum ccccxxxvii., ſi tertiam, erit annus ccccxcvii., ac poſtremo ſi quartam, annus erit* DLXXII. *Quare bene conſultum Ravennati Eccleſiae quiſque videt ex hac Fragmentorum collatione, quorum utrumque eiuſdem inſtrumenti, & contractus ſolemnitates, quae variae,*

*riae , & diverſae pro actus firmitate intercedebant , nobis exhibet. Illud poſtremo nunc monemus , ad Ariminenſe Papyri Fragmentum provocaſſe Virum doctiſſimum , & Naturalis Hiſtoriae ſcientia ſpectatiſſimum Comitem Franciſcum Ginannium in Diſſertatione de Scirpo Ravennate* (a) *, qua illud evincit , ut Ravennae papyraceam chartam ex Scirpo indigena conflatam dicamus. Tanti etiam fuit eiuſdem Diſſertatio , ut in Vaticano Cubiculo , in quo Papyri omnes ex auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XIV. P. O. M. omnium ſcientiarum , bonarumque artium cultoris , & vindicis praeſentiſſimi coacti ſunt , Ravennatis Scirpi Planta admirando Raphaelis Mengſii penicillo expreſſa fuerit. Dicerem inſuper aliqua de altero Papyri Fragmento anno* DLXXV. *exarato , quod Pontifici Muſarum Patrono dono dedit Eques nobiliſſimus , ac Philoſophus egregius Marchio Carolus Moſca Barzius Piſaurenſis , utriuſque noſtrum amantiſſimus , niſi te exſtantiores eiuſdem reliquias in Ephemeridibus Litterariis Florentinis huius anni a me editas vidiſſe ſcirem* (b). *Ceterum & hoc ipſum ad Eccleſiam Ravennatem pertinet , ut , perpaucis exceptis , omnes fere ad eam ſpectant. Tu haec boni conſulas rogo ,* IOHANNETTI *humaniſſime , quae etiam ut obſervantiae , ac benevolentiae in te meae perpetuo du-*



(a) *Diſſertaz. V. pag. 141. Tom I. Saggi della Società Letteraria Ravennate. In Ceſena 1765.*

(b) *Novelle Letterarie di Firenze 1773. num. 49. , e 51. ſotto la data di Roma.*

*raturae argumentum cenſeas, etiam, atque etiam peto. Vale.*

*Datis ex Aedibus meis XVIII. Kal. Decembris anno a Partu Virginis* CIↃIↃCCLXXIII.

FRAGMEN-

## FRAGMENTUM PAPYRI.

1. doſio vē atque melminus ve... & Iohanne Iuñ: principalibus defenſores ſcē Eccl.
2. hbſacax (a) eiuſque coniux mar.... de id quod ipſius chartula donationis inferius ad ſingula
3. eadem a competenti officio ſuſcipi —— iubeatis legi, actiſque indi deinde una nobiſcum principales
4. ores dirigi iubeatis ita ut dum eiſdem chartula donationis oſtenſa relectaque fuerit ſi a ſe inante
5. Civ. Rav. ſcribendam dictaverint & ipſi eadem manibus propriis ſigna impraeſſerit teſteſque
6. ſeu quam habeant voluntatem his actis aedicere non morentur
7. ſcē Eccl. Rav. offeratis & a competenti percorratis officio .... recitatum eſt



(a) *In Doniano exemplari* Bracux *primum, dein* Bracurſa, *quod ſiglas male legerit; interpretandae enim* honorabilis Acakius. *Ex Donio ſupple coniugis nomen heic truncatum, & lege* Martina.

8.... Ind. quint. Rav.... dominae ſcē & per omnia venerabili Eccl. Cathol.(a) Rav. bonus uhbs (b) acatius &

9. offerenda nunquam ſunt periture. & ideo hac conſideratione conmoniti preſenti vobis defenſoribus

10. donamus concedimus tradimus ac mancipamus ſex uncias totius ſubſtantiae noſtrae in mobilibus in immobilibus

11. erri ut dictum eſt in ruſticis urbaniſque praediis exceptis mancipiis & ſeptem ſemis unciis fundi

12. liberum ſortiamini ex noſtro permiſſo arbitrium quae res nobis univerſe obvenerunt tam ex proprio

13.... mus, huius Eccl. quemadmodum & a (*nob*) is vel auctoribus noſtris conſtat eſſe poſſeſſum.

KALEN-

(a) *In Fragmento alio Donationis factae Eccleſiae Ravennati apud Donium n.* VI. *pag.* 485. *ipſa Eccleſia dicitur* Catholica.

(b) *Lege* Vir honorabilis.

# KALENDARIUM VENETUM

## SAECULI XI

Ex Cod. Ms. Membranaceo Bibliothecae
S. Salvatoris Bononiae

A STEPHANO BORGIA

SACRAE CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

A SECRETIS

*NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUM.*

Digitized by Google

DIES EORUM, QUIBUS EXCEDUNT, ANNOTATE, UT COMMEMORATIONES EORUM INTER MEMORIAS MARTYRUM CELEBRARE POSSIMUS.

S. Cyprianus Epiſt. XXXVII.

# ERUDITO LECTORI.

KALENDARIUM, *quod hic exhibemus, ad noſtras devenit manus beneficio doctiſs. Viri Ioh. Chryſoſtomi Trombellii Abb. Congreg. Rhenanae SS. Salvatoris, qui nobis illud communicavit, cum in noſtra Beneventana Hiſtoria* (a) *de cultu ageremus Leonis IX. Pont. Max. eodem ſaeculo XI., quo migravit ad Dominum, inter Sanctos relati. Vetuſto in Cod. ſervatur ad calcem Ritualis, quod videtur ſpectaſſe ad Venetam aliquam Eccleſiam ſeu Cleri Saecularis, ſeu Canonicorum Regularium, minime vero Monachorum, eo quod Epiſcopi tantum ibi fiat mentio, nulla autem Abbatis, aut Patriarchae Benedicti, cuius ne Miſſa quidem apparet. Quod huiuſmodi Kalendarium ſaec. XI. in finem vergente conſcriptum ſit, illud primo ſuadet, quod idem Trombellius, cuius iudicium plurimi facimus, in hac eſt ſententia; deinde quod nonnulla ibi deſunt, alia vero addita in oculos legentium incurrunt, quae procul dubio poſterioris ſunt aevi. Et revera, quae in eo viſuntur* Dominici, Franciſci, *aliorumque nomina recentiori prorſus charactere ſunt ſcripta, atque ob id ipſum a nobis aſteriſco notata. Quae autem deſunt haec fere ſunt: nullis prope nominibus praefixus* Sancti *titulus, quod magnam redolere antiquitatem nemo ſane inficiabitur* (b): S. Catharinae *M. Alexandrinae feſtum in eo nullibi reperitur, quod omnes no-*

(a) *Tom. II. p. 44., e ſegg.*

(b) *Vid. Iohan. Bapt. Solerium in Praef. ad Martyr. Uſuardi.*

*norunt apud Latinos eo demum tempore celebrius evaſiſſe, quo milites noſtri ad Loca Sancta recuperanda animos, ac arma verterunt. Nihil dicimus de Octava Nativitatis, ac multo minus de Viſitatione B. V., haec enim feſta recentiora cum ſint, & ad ſaec. XIII., & XIV. pertineant, nullatenus, ut quae ſupra, inſervire poſſunt ad veterem Codicis ſcripturam probandam. Supereſt nunc, ut quoniam anguſto ſpatio concludimur, pauca quaedam libemus, quae Kalendarium hoc magis commendant. Ac primo quidem notandum occurrit feſtum* Agnae ſec. in carne, *quo Virginis natalis dies in corpore, non autem in paſſione intelligitur, quod feſtum in aliis Kalendariis* natale de nativit., natale genuinum, nativit. S. Agnetis &c. *inſcribitur. Obſervari etiam debet* primus dies ſaeculi *poſtridie Id. Mart. notatus, qui nil aliud indigitat, quam mundi creationem eo die factam, etſi Petavius* (a), *aliique illam tempori autumnali, non autem veris initio attribuant. Feſtum* Transfigurationis Dominicae *huius Kalendarii ope ſuam vindicat antiquitatem adverſus Scriptores, qui eius originem Callisti III. temporibus adſcribunt. Denique animadvertenda etiam ſunt tum feſtum* conceptionis Ioannis Baptiſtae, *quod apud Graecos etiam num viget* (b), *tum* initium Quadrageſimae *poſtridie Non. Nov., de quo vide Cl. Viros Muratorium* (c), *& Coſtadonium* (d). *Vale.*

KALEN-

(a) *De Doctr. Temp. lib. 9. cap. 6.*

(b) *Vid. Menolog. Baſilii* X. *Kal. Octobr.*

(c) *To. II. Anecd. p. 265.*

(d) *Ragionam. ſopra la giornata di S. Martino Tom. XX. N. R. di Opuſc. Venez. 1770.*

# KALENDARIUM

Ianuarius habet dies xxxi. Lun. xxx.

*Iani prima dies, & ſeptima ſine timetur.*

a Kal. Ian. Circumciſio Domini. Ab op.(a) G.
b iiii. Non. Iſidori Conf.
c iii. Genovefae Virg. d ii.
e Nonis. Simeonis Prophetae. Vig.
f viii. Id. Epiphania Domini. Ab op.
g vii. Iuliani Mar.
a vi. Luciani Mar. b v.
c iiii. Pauli primi Heremitae.
d iii. Gregorii Nazianzeni. Eductio Do-
e ii. (mini de Aegypto.
f Idibus. Ylarii Ep. Pictavis. Octav. Theoph.
g xix Kal. Feb. Felicis Conf. in Pincis.
a xviii. Abachuc Proph. Mauri Monachi.
b xvii. Marcelli PP. & Mar.
c xvi. Antonii Monachi.
d xv. Priſcae Virg. *Sol in Aquarium.*
e xiv. Marii & Marthae. Audifacis & Ab-
f xiii. Fabiani, & Sebaſtiani. (bacuc.
g xii. Paſſio Agnetis Virg. Ab op.
a xi. Anaſtaſii Mar., & Vincentii Mar.
b x. Hemerentianae Virg. & trium Pue-
c ix. Timothei Mar. Savinae V. (rorum.
d viii. Converſio S. Pauli. Ab op. G.
e vii Policarpi Ep. Smirnae Vir. ob. (b).
f vi.

(a) *Leg.* ab opere, *ſcilicet feſtum ab operibus immune.*

(b) *Quid* vir. ob. *fateor me neſcire, forſan* virgo obiit, *fuit enim diſcipulus Iohannis virginis.*

f VI. Ioannis Griſoſtomi
g V. Agnae. Sec. in carne.
a IIII.
b III. Geminiani Conf.
c II. Inventio corp.B.Marci Ev.(a)Ab op.

Februarius habet dies XXVIII. Lun. XXVIIII.

*Aſt Februi quarta eſt precedit tertia finem.*

d Kal. Feb. Severi Epiſc. Brigidae Virg.
e IIII.Non. Purificatio S. Mariae. Ab op.
f III. Ioannis Conf. & Blaſii Mar.
g II. Depoſitio Symeonis Proph. (b) G.
a Nonis. Agathae Virg. Ab op.
b VIII. Id. Vedaſti Conf.
c VII. Scolaſticae Virg
d VI.
e V. Altonis Conf.
f IV. Sotheris Virg.
g III. a II.
b Idibus. Fuſcae Virg.
c XV..Kal.Mar. Valentini Ep. & Mar.
d XV. Fauſtini & Iovitae. *Sol in Piſces.*
e XIIII. Iulianae Virg.
f XIII. g XII. a XI. b X. c. VIII.
d VIII. Cathedra S. Petri Apoſt. Ab op.
e VII.
f VI. Mathiae Ap. Ab op. *Hic locus biſexti.*
g V a IIII. G. b III. c II.

Mar-

(a) *Contigit ſaec.IX. ante an.* 870. *Vid. cl. Senatorem Flaminium Cornelium de Venetis Eccleſiis* Dec.XIII. P. I.

(b) Depoſitionis *nomen recte in hoc Kalendario Confeſſoribus tantum tribuitur.*

Martius habet dies xxxi. Lun. xxx.

*Martis prima necat, cuius ſi cuſpide quarta eſt.*

d Kal. Mart. Albini Ep. Donati Mar.
e vi. Non. f v. g iiii. G. a iii. b ii.
c Nonis. Perpetuae & Felicitatis.
d viii. Id. Initium primae Lunae Paſchalis hor. v.
e vii. In Sebaſte XL. Milit. f vi. g v.
a iiii. Depoſitio Gregorii PP
b iii. Eufraxiae Virginis.
c ii Leonis Ep. & M. Longini. d Idibus.
e xvii. Kal. Ap. Eugeniae V. Hellari, & Taciani.
f xvi. Patricii Ep.
g xv. Primus dies ſeculi. *Sol in Arietem.*
a xiiii. b xiii
c xii. Tranſitus B. Benedicti. *Equinoctium*
d xi. Locus Epactarum. (*Vern.*
e x. * Proculi.
f viii. Locus concurrentium.
g viii. Annunciatio Dom., & Crucifixio
a vii. (eius. Ab op. (a)
b vi. Reſurrectio Domini. c v. G.
d iiii. Ordinatio B. Gregorii PP. (b)
e iii. f ii.

Apri-

(a) Sicut a maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiae cuſtodit auctoritas, viii. Kal. April. conceptus traditur quo & paſſus. *S. Auguſtin. lib. 4. de Trinit. cap. 5.*

(b) *Dies nempe, qua ad Romanam Cathedram aſcendit, quaeque dicebatur* natalis Pontificis. *Anaſtaſius in vita Hadriani I. ſic habet.* Conſtituit, ut quatuor vicibus in anno ipſum pharum accendatur, ideſt in nativ. Domini, in Paſcha, in natali Apoſtolorum, & in natali Pontificis.

Aprilis habet dies xxx. Lun. xxviiii.

*Aprilis decima eſt undeno & fine minatur.*

g Kal. Ap. a iiii. Non. b iii. c ii.
d Nonis. Depoſ. Ambroſii Archiepiſc.
e viii. Id. f vii. g vi. a v.
b iiii. Hezechielis Proph. G.
c iii. Leonis PP. d ii. e Idibus.
f xviii. K. Mai. Tiburtii. Valeriani, & Maximi.
g xvii. Dormitio Helenae Virg.
a xvi. b xv. *Sol in Taurum.* c xiiii.
d xiii. Leonis Noni PP. G.
e xii. f xi. g x.
a viiii. Georgii Mar. Adelberti Ep.
b viii. Liberalis Conf. Trium puerorum.
c vii. Marci Evang. Ab op. Laetanie mai.
d vi. Cleti PP. & Mar
e v. Pollionis Mar.
f iiii. Vitalis Mar.
g iii. Leonis Conf. a ii.

Maius habet dies xxxi. Lun. xxx.

*Tercius in Maio Lupus eſt, & ſeptimus anguis.*

b Kal. Mai. Philippi & Iacobi, & Ieremiae Proph.
c vi. Non. Athanaſii Ep.
d v. Inventio S. Crucis. Alexandri cum
e iiii. Floriani Mar. (Sociis ſuis. G.
f iii. Aſcenſio Chriſti ad Caelos.
g ii. Ioannis Ap. ante Portam Latinam.
a Nonis.
b viii. Id. Apparitio B. Michaelis Archangeli.
c vii. Tharaſis Conf.
d vi. Gordiani & Epimachi.

e v. Chriſtoforis Mar. Cyriaci Ep. & M.
f iv. Nerei & Achillei, & Pancracii M.
g iii. Dedicatio S. Mariae ad Mar. (a)
a ii. Barbari Mar. Victor. & Coronae,
b Idibus. ( Felicis, & Fortunati.
c xvii Kal. Iun. Papia. Syri Conf. d xvi.
e xv. *Sol in Geminos.*
f xiv. Potentianae Virg.
g xiii. Euſtadii Mar. cum Sociis ſuis.
a xii. *Helenae Virg. (b)
b xi. Zoethae Virg. c x.
d viiii. Servuli Mar. G.
e viii. Urbani PP.
f vii. g vi. a v. b iiii.
c iii. Germani Ep. Maximi Ep.
d ii. Petronellae V. Canci. Canciani. & Cancianillae.

Iunius habet dies xxx. Lun. xxix.

*Iunius in decimo quindeno adfinem ſalutat.*

e Kal. Iun. Nicomedis Mar. Theclae Virg.
f iv. Non. Marcellini. & Petri. atque Eraſmi.
g iii. a ii. Quirini Mar.
b Nonis. Bonifacii Ep. & Mar.
c viii. Id. Marcelliani Conf. d vii.
e vi. Primi & Naboris.
f v. Primi & Feliciani.



(a) *De* dedicatione, *ſeu natali, ut in aliis Kalendariis, & Martyrologiis legitur, Eccleſiae S. Mariae ad Martyres, vide Dominicum Georgium in Martyrolog. Adonis hac die.*

(b) *In aliis Kalendariis hac die notatur feſtum Helenae matris Conſtantini Imp.*

g IIII. Eufraxiae Virg. G.
a III. Barnabae Apoſtoli. Ab op.
b II. Baſilidis. Cirini. Naboris, & Nazarii.
c Idibus. Peregrini Mar. *S. Antonii Paduano.
d XVIII. K. Iul. Heliſei Proph.
e XVII. Viti. & Modeſti. & Creſcentiae. Ab op.
f XVI. G. g XV. *Sol in Arietem* (a).
a XIIII. Marci. & Marcelliani Mar.
b XIII. Gervaſii. & Protaſi Mart. Ab op.
c XII.
d XI. Albani Mar.
e X. Translatio Iacobi Apoſt. Alphei.
f IX. Vig.
g VIII. Nat. S. Ioannis Baptiſtae. Ab op.
a VII. *Apparicio S. Marci Evang (b) Ab op.
b VI. Ioannis & Pauli Mar. Ab op. c V.
d IIII. Leonis PP. Vig.
e III. Nativit. Apoſt. Petri & Pauli. Ab op.
f II. Celebratio S. Pauli Apoſt. Ab op.

Iulius habet dies XXXI. Lun. XXX.

*Tredecimus Iulii decimo innuit ante Kal.*

g Kal. Iul. Marcialis Conf.
a VI. Non. Proceſſi, & Martiniani Mar.
b V. Transl. Thomae Ap. Eliodori Conf.
c IIII. Transl. S. Martini, vel ordinat. ad Epi-
d III. Gabrielis. (ſcopat. eius.
e II. Octava Apoſtolor., & Eſaiae Proph.
f Nonis. Villibaldi Epiſc.
g VIII. Id. Chiliani. Cholomanni. Totmanni.
a VII.

b VI.

(a) *Leg.* Sol in Cancrum. (b) *An.* 1094. *facta traditur*.

b VI. Septem Fratrum. Paterniani Conf.
c V. Translatio Benedicti Abb. (a)
d IIII. Hermachorae,& Fortunati Ab op.
e III. Hic inchoant. dies Caniculares. G.
f II.
g Idibus. Quirici, & Iulittae matris eius.
a XVII. K. Aug.
b XVI. Marinae Virg.
c XV. Rophilli Conf. *Sol in Leonem*. G.
d XIV. Arſeni Monachi.
e XIII. Margaritae Virg.
f XII. Praxetis Virg. G.
g XI. Mariae Magdalenae.
a X. Apollinaris Mar.
b IX. Criſtinae Virg. Vig.
c VIII. Iacobi Apoſt. filius Zebedei. Ab op.
d VII.
e VI. Aermolai Sacerdotis. Ab op.
f V. Nazarii. Celſi. & Pantaleonis Mar.
g IIII. Felicis. Simplicii. Fauſtini. & Bea-
a III. Abdon & Sennen. (tricis.
b II. Tertullini Mart.

Auguſtus habet dies XXXI. Lun. XXIX.

*Auguſti nepa prima fugat de fine ſecundi.*

c Kal. Aug. Paſſio Machabeor. Petri ad Vincu-
d IIII. Non. Steph. PP.&M. Ab op. (la. Ab op. G.
e III. Inv. Corporis S. Stephani Protom.



(a) *De translatione corporis, ſeu reliquiarum S. Benedicti a Caſſinenſi Monaſterio in Galliam ad Floriacenſe Cœnobium, vide Baronium an. 664. Henſchenium ad diem 21. Martii, Mabillonium, alioſque.*

f II. Iuſtini Presb.
g Nonis. * Feſtiv. B. Dominici Conf. FF. Praed.
a VIII. Id. Transfigur. Domini. Sixti Ep. Feliciſſimi. & Agapiti. Antimi. Ab op.
b VII. Donati Ep.
c VI. Ciriaci Mar.
d V. Firmi, & Ruſtici & Romani M Vig.
e IIII. Laurentii Mar. Ab op.
f III. Tiburcii Mar. Suſannae Virg. & M.
g II. Transl. Hermacore, & Fortunati.
a Idibus. Yppoliti, & Caſſiani.
b XVIIII. K. Sep. Euſebii Conf. Vig.
c XVIII. Aſſumptio S. Mariae. Ab op.
d XVII. Arnulfi. Ardoini Conf.
e XVI. Oct. S. Laurentii.
f XV. Agapiti Mar. *Sol in Virginem.*
g XIV. Magni Mar.
a XIII. Samuhelis Proph. Simproniani M.
b XII.
c XI. Timothei Mar.
d X. Hermogeni & Fortunati.
e VIII. Bartholomei Apoſtoli. Ab op.
f VII. Geneſii Mar. Ruffi Mar.
g VII. Anaſtaſii Mar.
a VI. Pelagii Mar.
b V. Auguſtini Ep. Hermetis Mar. Danielis Proph.
c III. Decoll. S. Io. Bapt. Savinae Virginis. Ab op.
d III. Felicis & Adaucti. G.
e II. Felicis Conf. Paulini Pontificis.

Septem-

September habet dies xxx. Lun. xxx.

*Tercia Septembris vulpis ferit a pede dena.*

f Kal. Sept. Priſci Mar., Verenae Virg.
g IIII. Non. Coſmae Conf.
a III. Marini Conf. Euſinia. Dorothea.
b II. (Tecla. & Heraſma. G.
c Nonis. Quinti Conf.
d VIII. Id. Zachariae Proph.
e VII. Sinotii Mar.
f VI. Nat. Mariae. Ab op. Adriani Mar.
g V. Gurgonii Mar.
a IIII. Hylarii PP.
b III. Proti, & Iacinĉti.
c II.
d Idibus. Ligorii Mar. & VII. Dormientium.
e XVIII K. Oct. Exalt. S. Crucis, Cornelii, & Cy-
f XVII. Nicomedis Mar. (priani.
g XVI. Eufemiae V. Luciae, & Geminiani.
a XV. Lantperti Ep. & Mar. *Sol in Libram.*
b XIV. Bonae Virg.
c XIII. d XII. Vig.
e XI. Matthaei Ap., & Evang. Ab op. G.
f X. Mauricii cum Sociis ſuis.
g IX. Urſi Mar., Teclae Virg.
a VIII. Conceptio S. Ioannis Bapt.
b VII.
c VI. Cypriani & Iuſtinae Mar.
d V. Coſmae & Damiani & Maximi.
e IV.
f III. Dedic. Eccl. S. Michaelis Arch. Ab op.
g II. Ieronimi Presbiteri.

October habet dies xxxi. Lun. xxix.

*Tercius Octubris gladius decimum ordine nectit.*

a Kal. Oct. Remedii, & Germani.
b vi. Non. Leudegarii Mar. c v. G.
d iv. * Franciſci Conf.
e iii. Placidi. Eutici. f ii.
g Nonis. Marci PP. Sergi & Bachi (a). & Iuſtinae Virg.
a viii. Id.
b vii. Dioniſii Ep. Domnini. Ruſtici.
c vi. d v. e iv. f iii. (& Eleutherii.
g ii. Calixti PP. & Gaudentii Conf.
a Idibus.
b xvii. K. Nov. Galli Abb. c xvi.
d xv. Lucae Evang. Ab op. *Sol in Scorpion.*
e xiv Ianuarii. Sociorumque eius.
f xiii. Undecim mill. Virg. in Colonia.
g xii. Ylarionis. Sanctarumque Virg.
a xi. G. b x. c ix.
d viii. Criſpini. Criſpiniani. Chriſanti.
e vii. Amandi Conf. (& Dariae.
f vi. Vig.
g v. Nat Ap. Symonis & Iudae. Ab op.
a iv. b iii.
c ii. Vig. Omnium Sanctor. Quintini M.

Novem-

(a) *Gratum Lectori putamus monumentum, forſan anecdotum, quod exſtat in Eccleſia Dioeceſis Scodrenſis Deo in honorem SS. Sergii, & Bacchi dicata.* ✠ Memto dne famule tue Helene Regine Servie Dyoclie Albanie Chilmie Dalmacie & Maritime Regionis que una cum filiis ſuis Regib. Uroſio & Stephano edificavit de novo hanc Eccliam ad honorem beator. martirum Sergii & Bachi & ad finem uſq. coplevit ann. dni MCCLXXXX. *De regib. Uroſ. Steph. v. DuCang.* de Fam. Dalm.

November habet dies xxx. Lun. xxx.

*Quinta Novembris acus vix tercia manet in urna.*

d Kal. Nov. Mem. Omnium Sanctorum. Ab op. (Ceſarii Diaconi.
e iiii. Non. Iuſti M. Akindini M. cum Soc. ſuis.
f iii. Inventio S. Fuſcae Virg.
g ii. Vitalis & Agricolae.
a Nonis. G.
b viii. Id. Demetrii M. Initium Quadrageſimae.
c vii. Willibrordi Conf., Proſdocimi Ep.
d vi. Quatuor Coronatorum.
e v. Theodori Mar. f iv.
g iii. Martini Ep. Ab op., & Mennae M.
a ii. Arſacii Conf.
b Idibus. Antonini Mar. Bricii Conf.
c xviii. K. Dec.
d xvii. e xvi.
f xv. Gregorii. Florini Conf. *Sol in Sa-*
g xiv. Platonis Mar. (*gittarium.*
a xiii.
b xii. Stephani Conf.
c xi. Mauri Mar.
d x. Ceciliae Virg. SS. Theoniſti. Ta- (brae. & Tabrathae.
e ix. Clementis PP. & Mar. Felicitatis.
f viii. Griſogoni Mar.
g vii. Proſperi Mar. Loc. ſaltem ſecun-
a vi. (dum Romanos hyems oritur.
b v. c iiii.
d iii. Saturnini Mar. Vig.
e ii. Paſſio S. Andreae Apoſt. Ab op.

Decemb. habet dies xxxi. Lun. xxix.

*Dat duodena coors ſeptem inde decemq. Decembris.*

f Kal Dec. Candidi. Longini.
g iv. Non. a iii.
b ii. Barbarae Virg.
c Nonis.
d viii. Id. Nicolai Conf. Baſſi Mar.
e vii. Ambroſii Archiep. G.
f vi. Zenonis Ep.
g v. Proculi Conf. Siri Conf.
a iiii. Melciadis PP. Eulaliae Virg.
b iii. Damaſci PP. c ii.
d Idibus. Luciae Virg.
e xix. Kal. Ian. f xviii. g xvii.
a xvi. Ignatii Mar.
b xv. Vinnibaldi Abb. *Sol in Capricornum.*
c xiv. d xiii. Vig.
e xii. Thomae Apoſtoli. Ab op.
f xi. G. g x.
a ix. Vigilia Nat. Domini.
b viii. Nativit. Domini noſtri Ieſu Chriſti. (& Anaſtaſiae Virg.
c vii. Stephani Protomar. Ab op.
d vi. Ioannis Ap. & Evang. Ab op.
e v. Innocentorum (a) Mar. Ab op.
f iv Ordinatio Epiſcopatum Iacobi
g iii. Liberalis Conf. (Ap. (b) Ab op.
a ii. Silveſtri PP., Columbae Virg.

*SYLLO-*

(a) *Leg.* Innocentium.
(b) *Leg.* in Epiſcopatum, *quando ſcilicet ab Apoſtolis primus ex Iudaeis Ieroſolymis eſt Epiſcopus ordinatus.*

# *SYLLOGE*
# INSCRIPTIONUM VETERUM
# ANECDOTARUM.

Digitized by Google

ANTONIO . LVDOVICO . ANTINORIO
AQVILANO
OLIM . ARCHIEPISCOPO . ANXANENSI
DEIN . ACHERVNTINO . ET . MATERANENSI
NVNC . ABBATI . ECCLESIAE . S. PETRI . AD . ORATORIVM
IN . OPPIDO . CAPISTRANI
VIRO . MORVM . INNOCENTIA
VITAE . PROBITATE
ET . MVLTIPLICIS . LITTERATVRAE . LAVDE
OMNIBVS . SPECTATISSIMO
CVIVS . DILIGENTIA . ET . STVDIO
ANTIQVITATES . AQVILANAE . MEDII . AEVI
EDITIS . ILLVSTRATISQVE . PLVRIBVS . CHRONICIS
INNOTVERVNT
ET . CVIVS . DEMVM . SEDVLITATE . ET . BENEFICIO
THESAVRVS . MVRATORIANVS
VETERVM . INSCRIPTIONVM
MVLTIS . EGREGIIS . MONVMENTIS
AB . IPSO . COMMVNICATIS
AVCTVS . CIRCVMFERTVR
IOHANNES . CHRISTOPHORVS . AMADVTIVS
OB . MVLTA . IN . SE . BENEVOLENTIAE . ARGVMENTA
PVBLICE . TESTANDA
PRAESVLI . ERVDITISSIMO . PIENTISSIMOQVE
SYLLOGEM . INSCRIPTIONVM . VETERVM
ANECDOTARVM
LIBENS . MERITO . D. D. D

# INSCRIPTIONES VETERES.

1.

*In loco Cerdomari Agri Sabinenſis ad Rivum aquae.*

SILVANO . SANCTO . . .
INPERATVM . FECI . . .
PROBVS . VILIC . . . . .
. . . FLAVI . SA . . . .
. . . EROS . . . . . .

Exſcripſit Venantius Lupacchinius Vir Cl, & communicavit Praeſul Cl. Antonius Ludovicus Antinorius.

2.

*Peruſiae apud Nob. V. Franciſcum de Soccis Civitellae.*

FORTVNAE
SACRVM
C. DOIVS . C. F. CHORON. EX . AVRI . P. 7. V V. I. M

Communicavit Iulianus Genghinius ICtus Ariminenſis. Siglas non aſſequor, quae forte non omnino accurate exſcriptae.

3.

*Extra Moenia Civitellae Socci Agri Peruſini.*

In Cippo.

POLYTIMVS
POPPAEAE . AVG
DISPEN-

DISPENSATOR
FORTVNAE
V. S

Communicavit idem Genghinius.

4.

*Tuderti in Fovea Viae Pianae ſub Moeniis Columella effoſſa Non. Septemb. anni* 1770., *in cuius fronte patera cum manubrio.*

LA . RI . BVS
C. CANTI
NIVS
VENVSTI
NVS

A latere:
MAG. C
D. D

Exſcripſi ego ipſe.

5.

*Dalmatiae in Cippo detecto anno* 1770.

IMP. CAES
MESSIO
QVINTO . TRA
IANO
DECIO . P. F. AVG
P. M. TR. POT
COS. I. AE
P. P. RESP. ANDAVT. DD

Andautonium Pannoniae ſuperioris Oppidum. Vid. Ptolem. lib. II. cap. 15., Antonin., Ortel., alioſque. Sed Andecrium, ſeu Andetrium Oppidum Dalmatiae, de quo Boudrandius. Num hoc potius heic reponendum?

Re-

6.

*Romae. Nomina ſeptem teſtium exſcriptorum in Tabula aenea Honeſtae Miſſionis indultae a Domitiano Imp., quae nos ipſam afferentes ſuperiori Volumine n. 4. pag. 460., & ſeqq., utpote tunc obducta rubigine, heic allaturos recepimus.*

A. CALPVRNI IVSTI
C. IVLI MAXIMI
P. SERTORI CELSI
. . . AV . . . MACRI
. . *i* VLI LELENI
. . CORNELI . . . ACATI
. . . MERI *ca* PITONIS

7.

*Alliani in Agro Peruſino. Tabula marmorea inventa anno 1765. alta pal. 2., lata pal. 1. $\frac{2}{3}$*

C. ALLIO . L. F
LEM
CENTVRIONI
LEG. XIII

Communicavit Franc. M. Galaſſius Bononien. Monachus Caſinen., Prior Eccleſiae S. Conſtantii Peruſiae.

8.

*Romae apud Iacobum Bellottium.*

D. M
P. CIPI . CRESCENTIS
MIL. COH. VI. VIG

Exſcripſi ego ipſe anno 1769.

Ro-

9.

*Romae in Muſeo Clementino Vaticano. Lapis praegrandis nuper inventus, in quo exſculptus Miles ſtans, & loris equum tenens. Inferne Inſcriptio.*

AVR. SATVRNINO. EQ. COH. VIII. PR. 7
VERISSIMI. MILITAVIT. IN. LEG. SE
CVNDA. ITALICA. TESSERARIVS. ANN. VI
QVI. VIXIT. AN. XXVIII. AVR. OPTATIANVS
EQ. FRATRI. BENEMERENTI. POSVIT

Exſcripſi ego ipſe.

10.

*Romae in Vinea, quae dicitur* Macao, *non longe a Thermis Diocletiani, ubi fuerunt Caſtra Praetoria, lapis inventus menſe Decembri anni* 1767., *nunc in Ambulacro Vaticani Palatii.*

VEX. L. LOCERIVS. L. F. SAB. CONSTITVTVS. VOLATERRA
OPT. C. IVLIVS. C. F. CAM. PRIMINVS. RAVENNA. F. AC. 7
SCOLAM. VETVSTATE. CORRVPTAM. PECVNIA. SVA. REFICIENDAM
. . . EM. AED. . . . AM. DE. SVO. MARMORE. ADORNARVNT

11.

*Neapoli in Pompeiano ad Theatrum. Invent. anno* 1769. *circa finem.*

C. QVINCTIVS. C. F. VALG
M. PORCIVS. M. F
DVO. VIRI. DEC. DECR
THEATRVM. TECTVM
PAC. LOC. EIDEQVE. PROB

Com-

Communicavit Vir Cl. Matthias Zarillius Academicus Herculanenſis, & Etruſcus Cortonenſis. Quidam de *Velario* heic rem eſſe cenſuerunt; aſt provocatur ad Ambulacrum, quod ad verticem Theatri erat, columnis fultum, & tectum. De Theatro tecto vid. March. Scip. Maffeium de Amphitheatro Veronen. lib. II. cap. XII. Ultimae lineae ſigias lege: FAC*iundum*. LOC*averunt*. EIDEMQVE. PROB*avere*.

12.

*Velitris in Aedibus Decurionum. Repert. Ciſternae hoc ann.* 1773.

AEDEM. RO . . . . .
AVGV . . . . .
ORDO. VLVBRA . . . . . .
SVO. EX. PECVN . . . . . .
VETVSTATE. D . . . . . .
A. FVNDAMENTI . . . . . .
C. SERIO. AVGVRIN . . . . . .
C. TREBIO. SERGIAN . . . . . .

Exſcripſi ego ipſe otio autumnali huius anni 1773. Duumviros Ulubrae heic deſignari cenſeo; in Faſtis enim Conſularibus ea nomina deſiderantur. Vid. inferius n. 17.

13.

*Ibidem.*

. . . . . IIVS. ZOSIMVS
. . . . . AS. VTRASQVE. CVM
. . . . . MENTIS. IMPENSAS. F. C
. . . . . AOB. MVNIFICENTIA. IMPEN

. . . . . SELLIVM . DECREVIT
. . . TINO . F. III IIVIR. QVINQ
. . . . . O . II
Exſcripſi ego ipſe.

14.

*Ferentini inter Hernicos in Latio, ſupra portam exteriorem, quae ad Orientem ſpectat, Arcis antiquiſſimae Etruſci operis, cui nunc innititur Epiſcopium.*

M. LOLLIVS . C. F. A HIRTIVS . A. F. CES. FVNDA
FACIVNDA . COERAVERVNT . EIDEMQVE . PROBAVERE

Exſcripſi ego ipſe Kal. Novembris huius anni 1773. Ceteras Inſcriptiones, quae in hoc Aedificio ſparſim leguntur, habes apud Gruterium pag. 165. num. 3. Haec omiſſa fuerat. Conſules ſpectant ad ann. Urbis conditae 734.

15.

*In Oppido Prezzae, inter Corſinium, & Sulmonem, ad Aedem ſacram Divae Luciae.*

L. STATIVS . CN. F. CHILO
L. PETTIVS . C. F. PANSA
C. PETTIVS . P. F. GEMELLVS
L. TATTIVS . F. F. COS
MAGISTRI . LAVERNEIS
MVRVM . CAEMENTICIVM
PORTAM . PORTICVM
TEMPLVM . BONAE . DEAE
PAGI . DECRETO . FACIENDV *m*
*c* VRAVERVNT . PROBARVNTQ *ue*

Communicavit Praeſul Cl. Antinorius.

Sermo-

16.

*Sermonetae in Cavaedio Domus Eccleſiae Collegiatae S. Angeli.*

C. OPPIVS
SP. F. COL
RVFVS . PAG
MAGISTER . IDEM
PRAEFECTVS . VLVBRE
IVRE . DICVNDO
MALVS . EST . MALE . . . FAT . . .

Exſcripſit, & communicavit Vir Cl. Ioſephus Regius Bibliothecae Comitum Praefectus. Habet Reineſius *Syntag. Veter. Inſcr.* Claſ.VI. num.72. pag.434. ex Manutio ad Cic. lib.VII. epiſt.71., ſed parum accuratam & quoad linearum ordinem, & quo ad voces nonnullas, tum etiam ultima linea carentem. Vid. ſuperius n.13.

17.

*Romae in Villa Bravettae, Gentis Bichiae Senenſis, extra Portam Aureliam, IV. ab Urbe lapide.*

DIS . MAN
L. FABI. L. F. GAL
POLLIONIS
QVAESTORIS . IMP
LEG. . . . . .
TRIB. PLEBIS
PROC
PROVINC. . . . . .

Exſcripſi ego ipſe menſe Maio anni 1770.

18.

*Romae in Vinea Caroli Simonis Neronii ICti Ripani extra Portam Capenam, ad Sepulcrum Scipionum. Tab. marm. nuper inventa.*

D. m
SILVI. . . . . Tel
ESPHOR o . . . DO

---

MITIVS . APOLLONIVS
PATER . DO. FORTVNATA
MATER . SILVANVS . ENA
TER . IVLIVS . TELESPHOR
TATA . CORNELIA . SEES
MAMMA . THREPTVS
TATVLA . DVLCISSIMAE
ET . PIENTISSIMAE . ANI
MAE . INNOCENTISSIM
AE . FECERVNT

Exſcripſi ego ipſe.

19.

*Romae extra Portam Capenam. Invent. anno* 1771.

D. ☽ M
BRVTTIAE . PEREGRINA e
PIISSIMAE . QVAE . VIXIT . AN . . .
MENSIBVS . DVOBVS . DIE . . .
C. BRVTTIVS . PEREGRINVS . ET . BRut
TI[illegible] . EVPHROSYNE . PARENtes
(ſic)
BENENERENTI . ET . SIBI . . . . .
LIBERTABVS . QVE . POST . . . . .
E O R V M

Com-

Communicavit Vir cl. Andreas Iohannettius Abbas Monaſterii S. Gregorii in Clivo Scauri.

20.

*Romae extra Portam Capenam in Vinea Bernardi Oliverii. Sarcophagus nuper inventus cum pueri ſtatua iacente, Bacchi ſymbolis ornata, capite nimirum pampinis redimito, & racemo dexterae, ac poculo ſiniſtrae appoſito.*

ΣΑΤΟΡΝΕΙΝΟΣ . ΕΓΩ . ΚΙΚΛΗΣΚΟΜΑΙ . ΕΚ
ΔΕ ΜΕ . ΠΑΙΔΟΣ
ΕΙΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΑΓΑΛΜΕΘΕΣΑΝ. ΜΗΤΗΡΕ.ΠΑΤΗΡΕ

*Saturninus . ego . vocor . ex . puero . me . autem in. Bacchi. Statuam. conſtituerunt. materque. paterque.*

Exſcripſi, & in latinum verti ego ipſe. Hieronymus Ferrius Poeta, & Orator celeberrimus ita hexametris verſibus Graecos ipſos latine reddidit:

*Saturninus ego ſum nomine: meque puellum*
*Finxit in effigiem Bacchi materque, paterque.*

21.

*Leptiniani in Eccleſia S. Leonis.*

D
M. MARCIV . . . . . .
SABINVS . R . . . . . .
MENSIB. VII . . . . . .
COMINIA . M . . . . . .
PIENTISS . . . . . .

Communicavit Vir Cl. Abbas Petrus Aloyſius Gallettius Mon. Caſin.

22.

*Romae in Vinea Bernardi Oliverii extra Portam Capenam. Tab. marmor. nuper inventa.*

D. APVLEIVS
GLAPHYRVS
APVLEIAE . IRENE
FILIAE . DVLCIS
SIMAE . QVAE
VIX. ANN. III
MENS. IIII. DIE
BVS . XVIII
FECIT

Exſcripſi ego ipſe.

23.

*Ibidem. Tab. marm. nuper inventa.*

PETRONIE . HELENI
QVE . VIX. AN. IL. D. I
H. V. PARENTES . FILIE
DVLCISSIME
FECERVNT

Exſcripſi ego ipſe.

24.

*Romae in Lapide apud Nicolaum Maronium Palaeopolam.*

AMIANTI
MATRI . CAR
ISSIMAE . MAR
CARITA . ET
ACHILEVS
FECERVNT

Exſcripſi ego ipſe.

Re-

25.

*Romae in Vinea Oliveria. Tab. marm. nuper inventa.*

D. M
TI. CLAV
DIO . CH
RYSE . FR
ATRI . BE
NEMEREN
TI . FECIT
CELESTINVS

Exſcripſi ego ipſe.

26.

*Ibid. Tab. marm. nuper inventa.*

D. M
VLPIAE . HYCLAE
QVAE . VIXIT . ANN. XLIII
MENS. VI. D. I
VLPIA . TYCHE . SORORI
(ſic) MENEMERENTI . FECIT

Exſcripſi ego ipſe.

27.

*Romae in Cippo apud Marmorarium in Colle Hortulorum. Litteris ſequioris aetatis.*

D. M
COCCEIO . FORTI
ET . CLAVDIAE . . . .
MELILINE . CO
NIVGI . EIVS
COCCEIVS . SADI
ECTVS . F

Exſcripſi ego ipſe prid. Kal. Sept. huius an. 1773.

28.

*Romae extra Portam Capenam in Vinea Bernardi Oliverii. Tab. marmor. nuper inventa.*

D. ♡ M

FANNIVS

HELIVS . FE

CIT . CECILIE

PAVLINE . CON

IVGI . SVAE

BENEME

RENTI

DVLCISSIMAE

QVAE . VIXIT . ANN

XXV. MENS. VI

Exſcripſi ego ipſe.

29.

*Ibidem. Tab. marm. nuper inventa, & diſrupta.*

D. M

FORTVNATAE . CONIV

*incomp*ARABILI . CONIVG

. . . SSIME . QVEIS . BENE

. . . R . SECVRVS . VIXIT

. . . . ET . AGILITATI . SVAE

. . . . ECVRVM . FECIT

. . . RVS . INFIBIX (*)

. . . I DEBVIT . CON

. . . . DVLCISSIME

(*) Lege INFELIX. Exſcripſi ego ipſe.

Ro-

30.

*Romae extra Portam Capenam. Tab. marmor. inventa anno 1771.*

D. M
TROELIAE . FELICVLAE
T. FLAVIVS . CAPRIO
LVS . CONIVGI . CA
RISSIMAE . FECIT

Communicavit laudatus Cl. Iohannettius.

31.

*Reate in Vinea Patritiae Gentis Sonantiae. Tab. marmor. inventa hoc anno 1773.*

D. M
ISIADI
EVTRA
PELVS
CONIVGI
BENE
MERENTI
FECIT

Communicavit Praeſul nobiliſſimus Antonius Felix Chiſius Zondadarius Reatinae Civitatis Praeſes.

32.

*Romae in Aedibus Buccapaduliis. Cippus advectus a Turri, quae dicitur* de' Schiavi.

| | Ideſt | |
|---|---|---|
| Θ. K | | D. M |
| ΓΑΠΕΙΡΙΟC . ΕΡ | | *Papirius . Her* |
| ΜΗC . ΓΑΠΕΙΡΙΑ | | *mes . Papiriae* |
| ΓΑΝΘΕΙΑ . CΥΜΒΙΩ | | *Panthiae . Conſugi* |
| ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ . ΜΝΗ | | *Dulciſſimae . me* |

MHC .

| | |
|---|---|
| MHC . XAPIN . TTM | *moriae . cauſſa . tu* |
| BON . ANECTHCA | *multum . excitavi* |
| ΓΑΡΑΛΑΒΩΝ . Ε | *cum . duxerim . an* |
| ΤΩΝ . ΙΒ . CΥΝΖΗ | *norum* XII. *ſimul . vi* |
| CAC . ETECIN . H | *xi . annis . VIII* |
| ΚΑΙ . MHCIN . Ε | *& menſibus . V* |

Communicavit laudatus Cl. Gallettius.

33.

*Romae apud Iacobum Bellottium.*

Κ. Κ

ΜΑΡΓΑΡΙΔΟC ΤΟ ΔΕ CΗΜΑ ΕΗC

ΕΥΗΝΟC ΕΙΕΤΞΕΝ ΕΙΝΕΚΑ ΜΝΗ

ΜΟCΥΝΗC ΤΗC ΦΙΛΙΗC ΑΛΟ

ΧΟΥ ΚΟΥΡΗΝ ΓΑΜΙΝΕΓΗΜΕΝ

ΕΤΙ ΤΡΙΑ ΚΑΙ ΔΕΚΕΧΟΥCΑΝ

ΓΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΓΑΜΩΝ ΔΕ

ΤΕ ΑΓΑΗC ΑΜΕΝΗ ΚΑΤΘΑΝΕΝ

ΕΞΗΚ ΝΤΑ ΤΡΙΩΝ ΕΤΕΩΝ

CA (sic)

ΓΕΓΑΥΙΑ ΕΥΦΡΑΝΑ ΡΟCΙΝ

ΡΑΝΤΙΕΩΙ ΒΙΟΤΩΙ

Ideſt:

D. M

*Margaridis hoc eſt ſepulcrum eius obſequii monumentum, amoriſque ſui gratia poſitum. Vxorem enim puellam duxi annos tredecim natam.*

*Quin-*

*Quinquaginta annis ſteterunt nuptiae.*
*Simplici autem languore periit*
*poſt ſexaginta tres annos exactos*
*Femina obſequens Viro pluſquam*
*mortalium alia quaelibet.*

Exſcripſi, & in latinum verti ego ipſe, ut potui, ad ſenſum.

34.

*Reate in Vinea Patritiae Gentis Sonantiae. Tab. marmor. inventa hoc anno 1773. cum Protome anaglyptice ſculpta.*

FEC LI
ANNIVS
HIPPOLITVS
C. B. M. C. Q.
V. A. XI. . . . V
D. X . . . . .

Siglas ſic lege : *Coniugi. Bene. Merenti. Cum. Qua. Vixit. Ann. XI. Men. V. Dies. X. &c.* Communicavit laudatus Praeſul Zondadarius.

35.

*Monte Cauſario in Dioceſi Firmana nuper inventus Sarcophagus, dum Eremitarum Auguſtinenſium Coenobium demoliretur. Altus pal. 2. unc. 9., latus pal. 8 unc. 6., ornatur paraſtatis, aliiſque anaglyptice ſculptis.*

D. M
M. ACVTIO. P. P. (ſic) FILIO
ACVTIANO. EQ. R. LAVR.

LAVIN.

LAVIN. Q. VIXIT . ANN. XXX
MES. VI. DIEB. XXV
LACANIA . MARTINA
CONIVGI . CARISSIMO . ET . PIO
CVM . FILIS . COHERED. SVIS
EX . TESTAMENTO ♁ ABIVS
BENAEMERENTI . POSVERVNT

Communicavit Praeſul Cl. Stephanus Borgia S. C. de Propag. Fide a Secretis.

36.

*Reate in Vinea Sonantia. Lapis nuper inventus.*

D. M
MARCIAE . ISIADI
PATRONAE
DE . SE . BENEMERITAE
FECIT
A. MARCIVS . SYNERᴼˢ
LIB

Communicavit laudatus Praeſul Zondadarius.

37.

*In Oppido Selci Agri Sabinenſis ad ſcalam Eccleſiae primariae S. Salvatoris.*

ORFIDIVS . P. L. PRIMVS
ORFIDIA . P. L. PRIMA
LETVS . DELICIVM . VIXIT
ANNOS . VIIII
GRATVS . CORFIDIAE . PRIME (ſic)
LIBERTAE

Communicavit laudatus Cl. Gallettius.

Ro-

38.

*Romae apud Marmorarium in Via Iulia.*

DIS . MANIBVS
CL IVL. ANICETI
ET . MAELIAES
HELIADIS
LIVIA . TROPHIMB
LIBERTA . ET
LIVIA . HELIAS
FILIA . DE . SVO
FECERVNT
IN . FRO. P. X
IN . AGRO . P. XII

HERIA . Q. Q. L
ET . EVTHERIS
SIBI . ET . SVIS
Q. HERIVS Q. L
TIBIVS
Q. HERIVS . Q. Q. L
CHARES
IN . FR. P. XIX
IN . AGR. P. XII

Communicavit laudatus Cl. Gallettius.

39.

*Romae extra Portam Capenam in Vinea Oliveria. Lapis nuper inventus.*

D. M
CORNELIAE . ARTEMISIAE
VIX. ANN. LIL M. VI. D. II
FECIT . CORNELIA . LVPERCA
VERNAE . SVAE

Exſcripſi ego ipſe.

40.

*Romae extra Portam Capenam in Vinea Caroli Simonis Neronii ICti Ripani. Lapis nuper inventus.*

DIS . M. SACR
APHRODISIO
VERNAE . SVO . DVLC
FEC. T. FLAVIVS

EPA-

EPAPRHODITVS
AEDITVVS
ABASCANTI . ET . PRISCIL
LAES . PATRONOR
ET . SIBI . SVIS . B. B
Exſcripſi ego ipſe.

41.

*Ibidem . Urna nuper inventa.*

DIS . MAN
L. FAENI . TELESPHOR
VNGVENTARI
LVGDVNENSIS
ET . FAENIAE
RESTITVTAE
VXORI . EIVS
FECIT . SERGIA
TYCHE
Exſcripſi ego ipſe.

42.

*Ibidem. Lapis nuper inventus.*

Q. FABIVS . ANTHVS
TAVRISCI . L. V. A. XXXIV
Exſcripſi ego ipſe.

43.

*Romae extra Portam Capenam in Vinea Oliveria. Lapis diſruptus nuper inventus.*

HAVE . SOPHRO . . . .
ET . VOS . VIATORES . . . .
AVG. LIB. PROC. NON. PR . . .
ME . CORONATIS . MVLT . . .
ET . SVIS . LIBERTIS
Exſcripſi ego ipſe.

*Veli-*

44.

*Velitris in Aedibus Borgianis. Fragmentum lapidis erutum hoc anno 1773. ad Aedes ſacras Divi Martini Cler. Reg. Cong. Somaſchae.*

. . . . . O. PHRYXO
. . . . . IOMASTENI
. . . . . ACEDO
. . . . . A . . . .
. . . . . IT . . . .

Exſcripſi ego ipſe.

45.

*Ibidem. Sigillum aeneum.*

P. MARCI
FORTVNATI

46.

*Sermonetae. Sigillum aeneum.*

SPECTATI
COR. PROC

Communicavit laudatus Cl. Regius.

47.

*Sabiniani in Aemilia in Muſeo Viri Cl. Petri Burgheſii. Sigillum aeneum repertum ad Caſtrum Vetus.*

L. IVENNI
SABINI:

Communicavit ipſe Burgheſius.

*Ibi-*

48.

*Ibidem. Fragmentum Inſcriptionis in Operculo Urnae ſepulcralis inventae anno* 1749. *in Agro Sabinianenſi prope Rubiconem fluvium, in praedio Marcucciorum de Arimino.*

. . . . VS . AVRI . P. III

. . . IOLARE . VOLVERIT . DARE . DEBET . FISCO . . .

Communicavit laudatus Burgheſius.

49.

*Portariae, Pago Terrae Arnulphorum, antiqui Patrimonii S. Romanae Eccleſiae, in Dioeceſi Spoletana. In Fiſtula aquaria plumbea invent. ann.* 1769.

C. FAELIVS . CRESCES . FEC

50.

*Romae apud Iacobum Bellottium. Lapis diſruptus, nuper detectus.*

. . . N. TIBI . NVNC . PRODEST . S . . EI . . . IC . . TE . VIXISSE

. . . ANNIS . HEREDVM . RATIO NVNTIAT

. . . PRIMA . FVIT . LITIS . VICESIMA

. . OLV . . . T . . ADENDE . RVDES . HOMINES

. . . . . NO . MORANTES . DELATI

. . . . . HOC . SVB . IVDICE . IVSTO

. . . . . ET . LONGIS . PROTRACTIBVS

. . . . . MALORV̄ . VICI . QVIDEM . DOMINE

VICTOR . CVM . PALMA . RELATVS . SEMANIMIS (sic)

CASV . MEDICI . MALE . MEMBRA . SECARVNT

CORPORI . QVOD . SVPEREST . TVMVLVM . TIBI

FECI . LIBENTER . NON . MIHI . MANDASTI

SED . VIVOS . SAEPE . VOLEBA . . . . .

Exſcripſi ego ipſe.

*Veli-*

51.

*Veliterris in Delicio Suburbano Comitis Antonii Antonellii. In Lapide rubro diſrupto, litteris minutiſſimis, ſed elegantibus, reperto in Agro Veliterno anno 1759.*

.....LIVS . P. ET . CLODIA . L. L. OPTATVS
.....VIXIT . ANNOS . VI. M. VIII
FLORENTEM . MEI . CONE ... VSSERE . PARENTES
....VM . LICVIT . SVPERIS ..... ACCEPTIOR VNVS
.....TVIT . VERBO . MALEDICERE . ACERBO
.....AD . SVPEROS . QVOS , PIETAS . COGI ....
.....ODESTE . NVNC . VOS . QVOI .....
.....Is . DICITE . OPTATE , SIT ....
..... O . ANNORVM . NONDVM
.....VM . AD . MORTEM . MATRIS
..... MANIBVS . CARVS , FVI . VIVOS . CARI
ADVERSEIS . QVAE . ME . SVSTVLIT . O ....
DESINE . IAM . FRVSTRA . MEA . MATeR .....
TE . MISERAM . TOTOS . EXAGITARE . DIE ...
NAMQVE . DOLOR . TALIS . NON . NVNC . TIBI ....
HAEC . EADEM . ET . MAGNEIS . REGIBVS ....
CLARA , AMARANTO .....
AV .....

Exſcripſi ego ipſe otio Autumnali huius anni 1773.

52.

*In S. Iuvenalis Episcopi extra Macerinum, Oppidum primarium Terrarum Arnulpharum, veteris Patrimonii S. Romanae Ecclesiae, in Dioecesi Spoletana. Tabula marmorea disrupta circa medium, ubi conspiciendae duntaxat remanent litterae* A. Ω. *Ad latera sunt duo pueri. Pars dextera decem versus habet, totidem sinistra. Lat. palm.6.* $\frac{1}{2}$*, alt. 2.* $\frac{1}{2}$.

PONTIASIDEREISASPIRANSVVLTIBVSOLIM
HICIACETAETHERIOSBMINELAPSAEVIT
OMNESHONOSOMNISCESITTIBIGRATIAFORMAE
MENSQVOQVECVMVVLTVSDIGNANITOREFVIT
TRADITAVIRGOTORISDECIMVMNONPERTVLITANNVM
CONIVGIIINFELIXVNICAPROLEPE(sic)RITA
QVANTVSAMORMENTISPROBITASQVAMGRATAMARITO
QVAMCASTIMORESQVANTVSETIPSEPVDOR
NILTIBIQVODFOEDVMVITIVMNECMORIBVSVLLVM
DVMSATISOBSEQVERISFAMVLADICTAVIRI

DENIQVETEMEMRITATISODIOQVEGRAVATVM
DVMSEQVERISVIDITCORSICACVMLACRIMIS
TVTREVIROSPERGENSCVRSVSVEVECTAROTARVM
CONIVGISHEVCVLTRIXDVRASATISPATERIS
TEPATERINFESTVSGENEROCVMTOLERAVELLET
TEMTASTILAQVEVMSIPACERETGENITOR
CEDITEIAMVETERVMLAVDESOMNESQVEMARITAE
TEMPORANVLLADABVNTTALIAQVAEFACIAT
VIRTVVSINGENTIGEMITVFLETVQVERIGATVS
HOSFECIVERSVSPAVCATAMENMEMORANS

*Infer-*

*Inferne haec leguntur :*

.... IAM ... HICLEGITAVTORESMV ...

Exſcripſit Praeſul Cl. Stephanus Borgia Autumnali ruſticatione anni 1769. Habet Muratorius pag. 1926. n. 1., qui ponit Spoleti ad Altare S. Iuvenalis, & cui miſit Dionyſius Sancaſſianus. Habet & Bonada *Carmin. ex antiq. Lapidib.* Claſs. x. n. xxv. pag. 502., qui ponit in S. Iuvenalis extra Oppidum *Macereti* Spoletanae Dioec., tum ex eo affert Paſchalis Amatius in Tom. VI. *Collect. Piſaur. omnium Poemat.* inter Carmina Chriſtiana Epigr. XXIII. pag. 279. Omnes tamen ita mendoſa exhibent haec Carmina, ut rurſus heic proferre non niſi utiliſſimum ſit; nam Muratorius, Bonada, & Amatius lin. 3. legunt OMNIS, cum OMNES, licet tamen male, legatur in marmore; & ibid. Murator. SIBI pro TIBI. Lin. 5. ſinguli habent THORIS pro TORIS. Lin. 6. Bonada, qui heic perperam emendat Muratorium, & Amatius CONIVGI, pro CONIVGII. Lin 9. Murator. HIC pro NIL. Lin. 10. Murator. VIRO pro VIRI. Ibid. Amatius TVM pro DVM. Lin. 11. Murator. TE TENERAM pro TEMEMET. Ibid. ſinguli GRAVATAM pro GRAVATVM. Lin. 13. Murator TVTE PVRGENT .... CVM SVBIECTA ROTARVM, Bonada, & Amatius. TVTA VIRVM PERGENS &c. pro TV TREVIROS PERGENS CVRSV SVBVECTA ROTARVM. Lin. 16. Murator. TESTANDI, Bonada, & Amatius TENTASTI pro TEMTASTI. Lin. 17. Murator. METRVM pro VETERVM, & MARITO pro MARITAE,

Ibid. Bonada, & Amatius OMNIS pro OMNES. Lin. 18. ſinguli FACIANT pro FACIAT.

53.

*Velitris in Sacello SSmae Trinitatis Gentis Borgiae Patritiae. Lapis inventus in Coemeterio veterum Chriſtianorum in Villa Borgia extra Portam inferiorem Urbis anno* 1750.

VE NE CES TVS PRE VI TER
IN PA CAE DOM DOR MIT

Exſcripſi ego ipſe otio Autumnali huius anni 1773.

54.

*Ibidem in Aedibus Ginettiis, intra clypeum rotundum in Urna ornata anaglyphis profanis, nempe virginibus alis, & palmis inſignitis, ac pueris item alatis; ad latera vero ſphinges habentur.*

GLODIA . LVPER
CILLA . IN . PACE D
BENE . DORMIT . QVE
VICXIT . ANNIS . XXVIII
M. VII. DIES . VIII. MECVM
ANN. VIII. M. VIII. D. XVIIII
AVR. TIMOTHEVS
COIVG. B. M

Exſcripſi ego ipſe otio Autumnali huius anni 1773. Habet Muratorius pag. 1852 n. 9., qui ponit Romae apud SS. Apoſtolorum in Domo Epiſcopi Sipontini, ſed admodum incorrectam, & indiligentem, ut e re ſit eamdem repetere.

55.

*In loco, qui* Veſcovio *dicitur, in Horto Coenobii iam deſerti, Agri Sabinenſis, in Urna.*

AVRELIO . VRSA
CIO . P. C. BENEMB
RENTI . QVI . VIXIT . AN
XXXVIII. DI. VIII. IN . PACE
DEP. XVI. KAL. APRIL

Communicavit laudatus Cl. Gallettius.

56.

*Veruli in parte poſteriore Arae maximae Eccleſiae Cathedralis.*

—

DP. MARTVRI
PB. IN . PCI . KAL. DICEM
BRIS . D. SOLIS . IND. XII

Exſcripſi ego ipſe otio Autumnali huius anni 1773.

57.

*Bononiae in Academia Inſtituti Scientiarum.*

DEPOSITVS . M
ARTYRIVS . III. KAL
IVLIAS . IN . PACE
TRIMATVS . ET . M$^{S}$

Communicavit Vir cl. Caietanus Aloyſius Marinius Civis Archangelianus.

Ro-

58.

*Romae apud eumdem Marinium. Lapis repertus ad Cryptam Ferratam anno 1765.*

Columba cum ramo oleae. Arca Noe

TE . IN . PACE
TIMINIAE . S *ote*
RIDI . DVLCIS *si*
ME . FILIE . OMNI . G *ratia*
SVAVII. POSIDONIVS . ET . TV . . .

QVOD . TIBI . DI
XI
Canis.
Gallus.

Exſcripſi ego ipſe.

59.

*Romae in Vinea Caracciolia extra Portam S. Laurentii in via Tiburtina.*

MARCIANO . COMPARI . . QVI . VIXIT
ANNOS . N. L. DEPOSITVS
XI. KAL. IAN. IN . PACE

60.

*Piſauri in Muſeo publico. Lapis Romae ex Catacumbis advectus.*

ΠΑΤΗΡ . ΑΙΛΙΑΝΗΤΙ — *Pater . Aelianeti*
ΘΥΓΑΤΡΕΙ — *Filiae*
ΑΙΜΝΗΤΩ — *Semper . memorabili*

Poſtremam vocem eſt, qui legat ἀμνηστότῳ *innuptae* a μνηστεύω *nubo*, & ἄλφα privativo. Ego potius legerem ἀμνήστῳ, cum & apud Fabrettium *Inſcr.* cap. VIII. n. CXI. pag. 592., & apud Cl. Oliverium *Marmor. Piſauren.* pag. 72. n. 182. habeatur titulus inſcriptus ΤΩ . ΑΙΜΝΗCΤΩ . ΦΗΛΙΚΙCCΙΜΩ, nempe *ſemper memorabili Felicisſimo*.

*Ibi-*

BIBLIOTECA

61.

*Ibidem ex Urbis Coemeteriis.*

ΖΩCIMOC . ΚΑΙ . ΕΥΝΕΙΚΗ
ΤΩ . ΙΔΙΩ . ΤΕΚΤΩ . ΕΥΝΕΙ
ΚΩ . ΚΑΛΩC . ΙΤΞΙΩΜΕΝΩ
ΤΗΝ . ΚΑΡΗΝ . ΤΟΥ . ΘΕΟΥ . ΕΙΡΗ
ΝΗΝ . ΕΧΕΤΕ . ΑΔΕΛΦΟΙ

*Zoſimus . & . Eunice*
*Suo . Filio . Euni*
*co . qui . bene . factus . eſt . dignus*
conſequi . *gratiam . Dei . Pa*
*cem . habete . Fratres*

Communicavit utramque Epigraphem Vir Cl. Calliſtus Marinius Piſaurenſis. Lin. 2. lege τίκτῳ, & lin. 3. ἰχιωμένῳ. Clauditur haec Inſcriptio aurea ſententia, Chriſtianis hominibus digniſſima; Quare claudimus & nos ea ipſa Syllogem noſtram.

*FINIS TOMI SECUNDI.*

EXCVSVM . ROMAE

CVRANTE . GREGORIO . SETTARIO . BIBLIOPOLA

AD . INSIGNE . HOMERI

IN . PERVIGILIO . NATALIS . DOMINI . NOSTRI

IESV . CHRISTI

ANNI . CIↃ. CCLXXIII

REGNANTE . GLORIOSISSIMO

ROMANO . PONTIFICE

ET . EPISCOPO . OECVMENICO

CLEMENTE . XIV

QVI . MVLTIS . ANNIS . VIVAT . FLOREAT . IMPERET

PONTIFICATVS . EIVSDEM . ANNO . V